2.


SAM. FRID. WILLENBERGI

SICILIMENTA JVRIS GENTIVM PRVDENTIÆ

EX LIBRIS HVGONIS GROTII
DE JVRE BELLI ET PACIS ALIORVMQVE
VIRORVM CELEBERRIMORVM SCRIPTIS
COLLECTA

ET IN MELIOREM
STVDIOSÆ JVVENTVTIS VSVM
IN QVÆSTIONES
REDACTA.

EDITIO POST PRIMAM GEDANENSEM
SECVNDA AVCTIOR ET EMENDATIOR,
CVI ACCESSIT RERVM INDEX.



LIPSIÆ.
SVMPTIBVS IOH. LVDOV. GLEDITSCHII
ET MAVR. GEORG. WEIDMANNI
Ao. M DCC XI.

INCLYTÆ
GEDANENSIS REIPVBLICÆ
SENATVI
SPLENDIDISSIMO,
ILLUSTRI DNO.
BVRGRAFIO
REGIO,
MAGNIFICIS, GENEROSIS,
STRENVIS AC NOBILISSIMIS
DOMINIS
PRÆSIDI
AC
PRÆCONSVLIBVS
CÆTERIS
CONSVLIBVSQVE
ET
SYNDICO,
PATRIBVS PATRIÆ OPTIMIS
ET PRUDENTISSIMIS
DOMINIS, MÆCENATIBVS AC
PATRONIS SUIS BENIGNISSIMIS
REGIMINIS ET VITÆ FELICITATEM
PERPETUAM.



DUbitarem planè, in tanta munerum gravitate, à quibus, PATRES CONSCRIPTI, diſtricti eſtis pro Populi Salute, proque tuendo eo, quod cuique ſuum eſt, literarium aliquod munus, quod exile, & inprimis ab ejus autore nullius pretii, apud Vos gratum aſpectum ſibi polliceri poſſe, niſi fiducia de Veſtro Favore aliundè confirmarer. Novi enim omnino, Vobis non ultimam curam eſſe, ut nobilitati generis, virtutis quoque junctam habeat Juventus Veſtra, Vosque eandem

ali-

aliquando eâ doctrinæ specie instructam reddere possitis Patriæ, quâ non uni angulo ac solis civibus apta, sed mundo & cunctis hominibus sociabilis sit. At nulla scientia magis præstare hoc potest, quam quæ commune Jus Generis humani, quod Naturæ & Gentium dici consuevit, discendum præbet, quo hominum officia sine discrimine populorum diriguntur, eorumque mentes ad pacem, concordiam ac mutuum amorem præparantur, quodque tanquam Jus communis Patriæ nosse omnibus tam gloriosum est, quam maximè expedit. Cum vero hactenus pro virili parte eo allaboraverim, ut juris hujus notitiam animis studiosæ Juventutis instillarem, & publico quodam

ſpecimine conſiliorum & laborum meorum fidem facerem, hoc, quod in hanc formam excrevit, qualecunque tandem ſit, jam apud Vos PATRONI MAXIMI deponendum eſſe cenſui, ut & crediderim, gratiam & favorem Veſtrum, quo hucusque me proſecuti eſtis, omnino mereri, ut apud Vos debitæ meæ Devotionis & Gratitudinis argumentum aliquod extaret. Equidem parum eſt, merita veſtra Cedris digna humili hedera venerari, attamen ſpem erigit, non potiora valentem Vos ſaltem æquo animo laturos, & ad inſtar agniculorum, aliorumque viliſſimorum, quæ apud aram Divinæ Majeſtatis clementi affectu recipiebantur, hanc caſtæ & gratæ mentis ob-


latio-

lationem benevolè quoque interpretaturos esse. Tantillum igitur supplico, ut pro illa, quæ vobis propria est, humanitate, hoc obsequii monumentum serena fronte accipiatis. DEUS Vos, MÆCENATES ac PATRONI MAXIMI, diu servet florentes, & inter tot curas, quas per multos sat annos invicto animo pro incolumitate Patriæ suscepistis, Consiliis vestris largiatur prosperrimos successus, Vosque in Familiarum Vestrarum Decus & honorem per seros annos jubeat esse superstites. Ita vovet

ILLUSTR. MAGNIFICOR. GENEROSOR. ET NOBILISSIMOR. NOMINUM VESTRORUM

devotissimus Cultor

S. FR. Willenberg/ D.



PRÆFATIO.



Vam ad gloriam digreſſa Jurisprudentia Particularis, ut ſupra antiquitatem longè cultior appareat ſeculo noſtro, non minorem nacta Univerſalis inſolitâ virorum ingenio ad venerationem præcellentium vigilantiâ. Palmam merito tribuit quisque Hugoni Grotio, qui communi opinione ſterileſcentem doctrinam Juris Naturæ & Gentium ab iſta imputatione non ſaltem vindicavit graviter

viter

viter, ſed & ad ejus æſtimationem excitavit ſeculum, hacque ratione, ut alii in abdita ejus melius introſpicerent, fores aperuit in Opere ſuo de Jure belli & pacis. Poſt eum, quæ non attigerat, aut in quibus humanæ imbecillitatis veſtigia reliquerat, alii conſilio & arte adduxerunt paſſim, tum & eliminarunt, reique venuſtatem altius deducere conati ſunt. Quòd factum ab illis vel plenis ſyſtematibus, in quibus ordinem rerum adornavit quisque, quem expeditiſſimum operi eſſe exiſtimavit, vel peculiarium materiarum expolitione, ſubindè & requiſitis ſuper Gentium controverſias conſiliis, deciſionibusque negotiorum belli pacisque tempore inter ſummos Principes emergen-

tium, quibus non alia vis vinculum ac obligationem imponere potest, quam quidem id Jus Gentium. Tanta doctorum virorum accuratione ad nitorem suum translata Juris hujus Prudentia, quæ gignendis fructibus in animis hominum, inprimis apud Juvenes, ut ejus semina maturè germinent, jam hoc opus huncque laborem postulat, ut accommodatè insinuetur. Hoc ex tanto apparatu, quem Orbis literatus possidet, præstari posse; ego quidem sentio, si duæ extremitates evitentur, nempe ne nimium & ne nihil in rem dicatur, medium autem ita servetur, ut paucis verbis, sine obscuritatis opprobrio res proponenda ad ampliorem sensum memoriæ commendetur. Et hac

ratione incedere mihi quoque animus fuit in adornando hoc libello, cui primam occasionem dederunt Juvenes quidam Nobilissimi, qui è re sua fore gnaviter prospiciebant, si in hac disciplina ingenium acuerent, & mutuis velitationibus profectus suos tentarent. Quid igitur iste spondeat, quidque Lector inde sibi polliceri possit, verbo saltem praloquar. Ad ordinem memorati Operis Grotii ejus argumenta, cum commentatorum aliorumque Eruditorum scitis, ad quorum Sophiam me perpulit methodi ratio; brevibus &, ni fallor, perspicuis quæstionibus exhibeo. Sed processi cum delectu Autorum & sententiarum. Ex illis enim non alium adcitare lubuit, quam ex cujus evolutione plura ad rem

ſpe-

ſpectantia, quæ vel rationum, vel exemplorum, digreſſionum, limitationum aut alia talium pondera continerent, Lector reperire poſſet. Quam defendo ſententiam, adjecta ratione confirmavi, & cum in hac materia jure dominetur ratio, inter diſſidentes eam quam â graviori ratione vallatam cognovi, cæteris prætuli, illius tamen â qua diverſus abii, Autorem modeſtâ nominatione indicavi, ut aliis judicandi libertatem, mihi vero de utraque diſſerendi copiam facerem. Jus Gentium, ex quo Principes Populique liberi vinculo quodam obligantur, non diverſam ſpeciem â Jure Naturæ eſſe adduxi, & hoc Numinis voluntatem ex iis fontibus, quos in loco hujus materiæ citatus Illuſtris Autor exhibuit,

buit, cognoſcendam, fundamentum habere, planè non dubitavi aſſerere. Nec adeò noviter diſſentientes id ipſum reſpuere video, quam eos Socialitatem principium quoque cognoſcendi eſſe, contendere, aut ſaltem convenientiam cum Dei voluntate perſpicuum & adæquatum formare principium, negare, id quod tamen non tam rei quicquam detrahit, quam in arte docendi momentum aliquod ponit. Cæterum ſi quem faſtidium capiat, ob trita molientem, ſciat me nec ſublimis laboris laudem flagitare, ſed conatum eſſe Sicilimenta ſaltem ex aliorum fertili ſolo in Juvenum incrementa colligere. His ſi, Benevole Lector, non omnem ſaporem denegaveris, ſat gratiæ illis dederis, ſicubi autem me devian-



viantem monueris, id tuæ humanitati imputabo, ad officia tua quavis occasione ultro quoque assurrecturus. Vale. Dabam Gedani A. O. R. quo altera Editio curabatur Millesimo Septingentesimo Undecimo.

PRO-



PROLEGOMENA.

Qu. I. An aliqua dignitas est Juri Naturæ & Gentium?



ff. & quidem magna, quia istud *Jus Mundi* est, seu omnium in terra hominum, qui sine *ullo discrimine* actiones suas ad id dirigere debent, ut in societate humana felicitate hujus vitæ potiantur. Dn. Hertius *in Jurispr. Universali Sect. 1. §. 8.* Mev. *Nucl. Jur. Nat. & Gent. Inspect. 2. §. 23. 33. & 34.*

Qu. II. An vero saltem vinculum est inter homines?

℟. Non, sed & hominem ad officia *erga Deum* obligat, ut de Deo rectè sentiat, & ei cultum debitum convenienter exhibeat. Dn. Hertius *d. l. § 13.* Pufend. *de Off. Hom. & Civ, Lib. 1. c. 4.* Dn. Budd. *Se-*

lect. Jur. Nat. & G. Ex. de Piet. Philosoph. §. 25. *seqq.*

Qu. III. *An quoque sufficit ad parandam felicitatem æternam?*

℟. Neg. quia ratio humana sibi relicta ignorat, pravitatem, quæ in facultatibus & inclinationibus cernitur, per culpam humanam provenisse, Deique offensam & æternum exitium mereri. Conf. Rachel. *de J. Nat.* §. 131. *seq.* Ignorat quoque Salvatoris Christi meritum & beneficium ejus, nec non promissa Dei humano generi facta; nescit media æternæ salutis, sacramenta & fidem, quibus Deus beneficia per Christum parta exhibet, nosque accipimus. Per illa enim sola salutem æternam hominibus provenire, non nisi ex sacris annalibus certiores fieri possumus Budd. *d. l.* §. 50. *seq.* Pufend. *d. l.* §. 8. Alberti *in Comp. Jur. nat. Part.* 2. *cap.* 1.

Qu. IV. *Sed an certa est Juris hujus Scientia?*

℟. Aff. quia versatur circa leges *voluntate Dei* determinatas, quæ ut stabilis & immota durat, ita & certo indicat, quid in actio-

actionibus hominum juſtum vel injuſtum ſit. Quamvis in modo cognoſcendi & interpretandi leges naturæ ob *infirmitatem humanæ naturæ* ſæpe diſſenſus & difficultas ſeſe exſerat. Dn. Ludovici *in Delineat. Hiſt. Jur. Div. nat.* §. 3. Zentgrav. *de Orig. & immutab. Recti d. Jur. nat. art.* 6. §. 31. *ſeqq. vid. infr. L.* 2. *c.* 23. *qu.* 2.

Qu. V. *At ſi tanta eſt dignitas Juri naturæ, cur viri magni ejus exiſtentiam negarunt?*

℞. Negarunt quidem eam Antigonus Senex, Carneades & alii, qui *omnis juris menſuram ex utilitate ſua determinant*, ac ſtultitiam appellant, ſi homo aliorum commodis inſerviendo, ſibi & ſuæ utilitati noceat. Verum hâc humano generi pernicioſiſſimâ ſententiâ nihil illos evincere poſſe patet, quia Jus naturæ *in ipſâ voluntate Dei poſitum eſt*, quæ non ſuo arbitrio relinquit homines, æſtimandi juſtum quid velint, ſed eos obſtringit, ut hoc quod juſſit faciant, & parendo unicè obſequii gloriam quærant Grot. *in Prol.* §. 3. 4. & 18. Budd. *Analect. Hiſt. Philoſoph.*

Ex. de Scepticismo morali §. *9. 10.23. 24.* Rachel. *de Jure nat.* §. *21. seqq.* Autor. *Tr.* der Unschuld und Nothwend. des Rechts der Natur.

Q. VI. *Doctrina Juris naturæ an recens quoddam argumentum est?*

℞. Isto quidem jure nihil antiquius est, utpote quod statim fuit cum condito homine. *Certo tamen ordine & methodo id* tractare olim pauci vel nemo sibi sumserunt, & recentiori demum seculo doctrina ista à viris doctis cultior in lucem proferri cœpit Grot. *Proleg.* §. *1. ibique* Tesm. *lit. d.* Dn. Ludovic. *d. Tr.*

Qu. VII. *Sed an ad usque nostra tempora ea planè inculta mansit?*

℞. Multa huc spectantia inveniuntur in libris *Ciceronis*, *Aristotelis* & aliorum sapientum, & fuerunt tam Theologi quam JCti, qui hoc argumentum uberrimum tractarunt, attamen *sine ordine*, ut multa reliquerint aliorum industriæ Grot. *Prol.* §. *36. & 37.* Eisenhart. *Instit. jur. nat. c. 1. & 2.*

Qu.

Q. VIII. *Quis fuit primus, qui hoc jus in artem redegit?*

℞. *Hugo Grotius* in opere ſuo Pariſiis 1625. primum edito, *de Jure belli & pacis.* Dn. Buddeus *in Hiſtoria Jur. natur.* §. 22.

Qu. IX. *Quis fuit ille Hugo Grotius?*

℞ Vir verè incomparabilis, in quo & naturæ dona, & multo uſu ſtudioque parta inſignis eruditio. Is *puer adhuc* ante annum ætatis duodecimum *Academiam Lugduno Batavam* petiit. Anno ætatis decimo quinto *M. Capellæ opus* notis ſuis illuſtratum edidit. Poſtea in omni ferè genere doctrinæ *ingenioſa ſcripta* orbi literato exhibuit. Functus etiam eſt graviſſimis Reip. muneribus. Nam *Ordinis Advocatorum Fiſci*, difficillimo in Belgio muneri, adſcriptus eſt. Aliquandiu etiam *Syndicatum* geſſit civitatis Roterodamenſis, inque eo munere Batavorum jura *in Commerciis Indicanis* apud Regem Magnæ Britanniæ ſtrenuè adſeruit. Tandem *Regni Svecici Oratorem* apud Galliarum Regem egit, & Anno 1645. ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo, poſtquam *naufragium*

passus, *Rostochii vitam* finivit vid. Oper. Theol. Grotii *ibique vita ejus præmissa.* Observ. Hallens. *Tom. VII, Obs. 15.*

Qu. X. *An rei convenit inscriptio librorum Grotii de Jure B. & P.*

℞. Aff. quia ad bellum & pacem omnia referri possunt, quæcunque in vita humana geruntur, nec minus status belli quam pacis regulam suam tenet, ad quam instituendus & dirigendus est homo Osiand. *ad Gr. p. 32.*

Qu. XI. *In quot libros dividit Grotius hoc opus?*

℞. Præter Prolegomena, in quibus Juris naturæ existentiam defendit, & fontes suppeditat ex quibus hoc opus hausit, id dividit in tres libros Grot. *Prol.* §. *33. sqq.*

Qu. XII. *Quas hactenus censuras virorum doctorum subiit?*

℞. Quod à causa scriptionis, methodo, materiarum nobilitate ac tractatione, dicendique genere facile aliis palmam præripiat, in explicatione tamen sacrarum literarum Pontificiorum, Arminianorum, Socinianorum aliorumque hereti-

reticorum furfure contaminetur, à quo cavendum lectori ne decipiatur vid. Calov. *in Bibl. illustr. ad Præfat. Grot.* Ziegl. *ad Gr. p. 27. 28. 65. 67. 91. 199. 421. 443. 449.* Osiand. *p. 24. 98. 1025.*

Qu. XIII. *Quid ergo de distinctione legis antiquæ & novæ ibi sæpius adhibita, habendum?*

℞. Non est admittenda, quippe Socinianismum redolens, cum *lex moralis*, quam dedit summus legislator Jehova, adeo omnibus suis partibus sit *perfecta & absoluta*, omniumque officiorum erga Deum & homines plenissima norma, ut addi vel detrahi ei nihil possit. Nec Christus unquam *Legislatorem egit*, sed *Legis Doctor ac interpres* eximius fuit, qui dicta sua non dictis aut scriptis Mosis opposuit, sed legem Mosis à Scribarum & Pharisæorum corruptelis graviter vindicavit. Pufend. *de habitu relig. christ. ad vitam civ.* §. *14. seqq.* Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 1. Subsect. 3.* §. *8.* & passim Commentat. ad Grot.

LIBER I.

CAPUT I.

Quid Bellum, Quid Jus?

Qu. I. *Quot modis Jus nostrum tuemur ac persequimur?*

DUobus aut *Vi* aut *Disceptatione*. Hic inter eos obtinet, qui superiorem judicem habent, cujus imperio suum cuique tribuitur, ille inter eos qui nemini hominum parent Cicero *Lib.* 1. *Offic.* 11.

Qu. II. *Quando vi uti licet?*

℟. Cum quis *ob defectum judicii* aut alius à natura permissi remedii non aliter quam vi jus suum tueri possit. Nisi enim hæc unica ratio juris sui expediendi reliqua esset, frustra Deus homini jus constituisset. Grot. *Prol.* §. 25.

Qu. III. *At sine judicio non videtur duorum litem componi posse?*

℟. Inter illos, qui judice humano destituuntur, bellum est *publicum quoddam judicium*, in quo victoria est quasi sententia litis, quæ deciditur à Deo summo rerum arbitro, in cujus potestate est belli alea

Dn.

Dn. Coccej. *de Justit. belli & pac. in Statu regni Portugall. fund. Sect. 3. Art. 3. qu. 1.* Tesm. *ad Grot. Prol. d. §. 25.*

Qu. IV. *Quid est bellum?*

℞. *Bellum est Status per vim certantium, qua tales sunt.* Vel Bellum est statu. eorum, qui jurium causa *actu violento* vel *consilio* litigant Grot. *l. 1. 2. ibique* Tesm. Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 4. §. 3. seqq. infr. l. 3. c. 1. qu. 8. seq.*

Qu. V. *An in bello jura obligant?*

℞. Jus *Naturæ & Gentium*, quia ab æterno & immutabili supremi legislatoris decreto profluit, omni pacis & belli tempore omnique loco cunctos homines obligat; leges vero *civiles & judiciariæ* pacis propriæ inter arma silent. Grot. *Prol. §. 26.*

Qu. VI. *Quid est Jus?*

℞. Jus seu lex est Regula actuum moralium, obligans ad id quod justum est. Grot. *l. 1. 9. ibiq.* Tesm. & van der Muelen.

Qu. VII. Quotuplex est *Jus?*

℞. Est vel *Divinum* vel *Humanum* Zentgrav. *d. Tr. Art. 1. §. 3.*

Qu. VIII. *Quid est Jus Divinum?*

℟. Quod Deo Autore latum est.

Qu. IX. *Quotuplex est Jus Divinum?*

℟. Est vel *Naturale* vel *Positivum.*

Qu. X. *Quid est Jus Naturale?*

℟. *Est Jus divinum cordibus hominum inscriptum, quod dirigit hominum actiones ad voluntatem Dei.*

Qu. XI. *Quodnam Principium Juris naturæ esse statuis?*

℟. Principium seu id, ex quo omnia juris naturæ præcepta per legitimam consequentiam deduci, & in illud iterum resolvi possunt, non est custodia humanæ societatis, ut putat Grot. *Prol.* §. *7. 8. & 23.* Pufend. *de J. N. & Gent. L. 2. c. 3.* §. *15.* nec mutuus metus, ut Hobbesius *de Cive c. 1.* §. *10. c. 13.* §. *7. & in Leviath. c. 15. 17. 18.* aut mutua benevolentia, ut Cumberlandius sentit *Disquisit. philos. de legib. naturæ cap. 1.* §. *4.* vid. Hertius *Tom. I. Opusc. Tr. de Socialit. primo Jur. nat. princip. Sect. 2.* §. *9. sqq.* sed *DEI OMNIUM CREATORIS VOLUNTAS* facultatem homini concreatam restringens vel liberam relinquens.

Qu.

Qu. XII. *Vnde hoc probatur?*

℟. Quia ſolus Deus, tanquam Creator omnium, in hominum actiones & facultates jus habet, eas pro ſuo arbitrio in ſua libertate relinquendi, vel reſtringendi, & ad id quod fieri vel non fieri vult, vinculum aliquod & neceſſitatem illis imponendi. Dn. Coccej. *de Princ. jur. nat. vero unico & adaequ. qu. 2. §. 6. ſeqq.*

Qu. XIII. *At ita Jus naturæ ſaltem in illis, qui Deum agnoſcunt, vinculum operatur, non in Atheis?*

℟. Nulla conſequentia eſt: Athei Deum non agnoſcunt, ergo non obligantur jure naturæ. Hoc enim Jus *per ſe* aliquid eſt & non *ab agnitione* hominum exiſtentiam ſuam habet, æquè ac Sol, Luna & aliæ creaturæ divinæ per ſe aliquid ſunt, utut eas homo vel planè non curet, vel non ſatis debitè agnoſcat. Autor der Unſchuld und Nothwend. des Rechts der Natur §. 26. & 27.

Qu. XIV. *Ex quibus fontibus voluntas Dei & ita omne jus naturæ demonſtrari poteſt?*

℟. Tum

℞. Tum ex verbo Dei, tum quoque ex motibus & instinctibus intrinsecis in homine, ex actionibus Creatoris, medii necessitate, fine actionum necessario, ac denique ex sanctissimi Creatoris natura Coccej. *d. l. qu. 3. §. 9.* vid. Budd. *Sel. Jur. nat. & gent. Exerc. 1. §. 47.* Dn. Thomas. *in Fundam. Jur. Nat. & G. L. 1. c. 6. §. 21.*

Qu. XV. *Ergone revera existit aliquod Jus naturæ?*

℞. Aff. cum enim homo creatus, ut *libero arbitrio* ad bonum vel malum se convertere posset, Deus vero omne bonum diligat, & omne malum oderit, necesse fuit, ut *toti generi humano aliquam legem præscriberet*, secundum quam bonum ageret, malum vero omitteret, & ita ad voluntatem Dei actiones suas attemperaret Guilielm. Grot. *de Princip. J. nat. c. 1. §. 7.* vid. Mev. *Nucl. Jur. nat. & gent. Inspect. 2. §. 2.*

Qu. XVI. *Circa quas actiones versatur Jus Naturæ?*

℞. Circa actiones hominum *indifferenter*. Quia enim Deo nihil coævum vel ante-

anterius eſt, quod hominum agendi libertatem reſtringere potuiſſet ſequitur, id ab ipſo Deo fieri. Thomaſ. *Ipr. Div. L.1.c.2.n.74.ſqq.* vid. Budd. *Phil. Pract. P.2.c.4. S.1. §.8.* Diſſent. Zentgrav. *de Orig. Jur. nat. art.* 8. *§.5. 51.*

Qu. XVII. *Quotuplex eſt Jus naturæ?*

℞. A duplici voluntate Dei, quâ vel facultas & libertas agendi homini conceditur, vel quâ neceſſitas agendi vel non agendi imponitur, dividi poteſt in *Permisſivum* & *Præceptivum.* Deinde dividitur Jus naturæ *Abſolutum* quod homines obligat omni tempore & loco, v.gr. Deum eſſe colendum, honeſtè vivendum, neminem lædendum; & *Hypotheticum*, quod demum poſito certo ſtatu vel conditione hominum aut rerum obligat, ut hominem ſe debere vel poſſe defendere, præſupponit enim hoc læſionem alterius & ſtatum belli Mev. *d. l. §.6.* Puſend. *II. 3.24.*

Qu. XVIII. *Quantam vim habet jus permiſſivum in actionibus hominum?*

℞. Quia actus arbitrio hominum reli-

cti

cti Deo magis placent, ac largius ab eo remunerantur, quanto perfectiores & virtuosiores sunt, *spes Divinæ gratiæ præmiorumque* hominum studia allicere debet, ut ultro id agant, quod est perfectius Coccej. *d. l. qu. 4.*

Qu. XIX. *An in Statu integritatis Jus naturæ ut supra definitum extitit?*

℞. Aff. quia æterna illa Dei voluntas etiam tum jam explicata fuit. Quanquam vero homo, quamdiu in puncto integritatis mansit, non cogitavit de obligatione, quia sponte suâ benè fecit, tamen sub lege naturali fuit, cujus obligatio sese exserere debuit, cum ab ista integritate deficeret. Alias nisi fuisset sub lege, non potuisset peccare, nec puniri. Dn. Thomas. *Ipr. Div. L. 1. c. 2. n. 61.* Huber. *P. 2. Digress. L. 1. c. 5. §. 3.*

Qu. XX. *In quos cadit jus naturæ?*

℞. In homines non *bruta*, quia ratione non pollent, qua possent de officiis ratiocinari. Ex quo sequitur jus non dari, quod *homini cum brutis est commune.* Ideo tamen bestiis præ homine non est

præ-

prærogativa tribuenda, quod illæ gaudeant majore libertate ab omni lege immunes, nam bestiis libertas agendi concedenda non est. Budd. *Analect. hist. Philos. Exerc. 3. §. 6. sq.* Puf. *II. 3. 2 & 3.* Rachel. *in Comment. ad offic. Cicer. Proleg. §. 9. sqq. & de Jure Nat. §. 39. seqq.*

Qu. XXI. *An Jus naturæ mutari potest?*

℞. Non potest mutari *ullo modo*, ne quidem *à Deo*, quia sanctitati & justitiæ Divinæ illud conforme est. Ut autem Sanctitas & justitia Dei nullis mutationibus subjacet, ita nec jus naturæ. Grot. *I. 1. 10. ibiq.* Tesm. *lit. c. & ζ.*

Qu. XXII. *Annon hoc repugnat potentiæ Divinæ?*

℞. Neg. quia Deus non potest velle, nisi quod *perfectissimum* est, hoc autem, quando semel voluit, non potest deinde mutare, quia mutatio isthæc *imperfectionem* inferret, quæ de Deo tanquam Ente perfectissimo dici non potest. Grot. *d. §. 10. n. 5. ibiq.* van der Muelen.

Qu. XXIII. *Videtur tamen Deum aliquando contra Jus naturæ dispensasse?*

℞. Vi-

℞. Videtur hoc in mandata occisione Isaaci, ablatione vasorum Ægyptiacorum ab Israelitis facta, in mendacio obstetricum ægyptiacarum. vid. *infr. l. 3. c. 1. qu. 20.* Verum distingvendum inter *Objectum Juris naturæ*, & inter *ipsum Jus*. Illud à Deo mutari potest, non hoc, h. e. Deus hominem, quem jubet occidere, eximere potest ex numero eorum objectorum, quæ comprehenduntur sub Juris Naturæ præcepto: *Non occides* & tunc non erit homicidium. Et si jubeat alicui auferre res suas, non erit furtum, quod jure naturæ prohibitum, quia Deus est supremus Dominus vitæ & rerum nostrarum, qui pro lubitu suo eas nobis dare & auferre potest. Alberti *Compend. Jur. Nat. P. 1. c. 1. §. 88. & P. 2. Proleg. §. 15. seqq.* Mev. *Nucl. Jur. Nat. & Gent. Inspect. 2. §. 41.*

Qu. XXIV. *Quid est Jus Divinum positivum?*

℞. Est jus, quod Deus per specialem revelationem in verbo suo dedit, vel universo generi humano, vel certo populo, utpo-

utpote Judæis. Hinc illud *Universale* dicitur, cujus exempla occurrunt in sanctificatione septimi diei, prohibitione matrimonii fratrum & sororum &c. hoc *Particulare*. Grot. *1. c. 1. §. 15.* Dn. Thomas. *in Jprud. Div. L. 1. c. 2. n. 121.* Dn. Budd. *Select. J. N. & G. Exerc. de Piet. Philosoph. §. 41. seqq.*

Qu. XXV. *An differunt Jus naturæ & positivum universale?*

℞. Differunt I. *Modo cognoscendi*, qui in illo est recta ratio, in hoc Divina revelatio *ad Rom. II, 14. 15. VII, 5.* Tesm. *ad Grot. Prol. §. 2. lit. a. & L. 1. c. 1. §. 15. lit. a.* II. *Objecto*, illud versatur circa actus, qui necessario debuerunt præcipi aut vetari, hoc circa actus, qui non ita præcipi aut vetari debuerunt. III. *Effectu*, Jus enim naturæ dispensationem non admittit, sed jus positivum à Deo dispensationem recipit. Dn. Thomas. *d. l. L. 1. c. 2. n. 71. 118. & in Dissert. de Crim. Polygam. §. 12. seqq.* Ludovic. *Delineat. Jur. Div. nat. §. 114.*

Qu. XXVI. *An hæc jura necessitati cedunt?*

℞. Hic opus est distinctionibus. Aut enim Jura illa respiciunt *Deum* aut *hominem*. Erga utrumque sunt vel *Affirmativa* vel *Negativa*. In his considerandum, an *Necessitas* originem habeat *à Deo*, an *à malitiâ aliorum hominum*, & si hoc, an malitia hominum principaliter intendat *mortem inferre*, an primario quærat *transgressionem legis*, & denique an *medium evadendi* suppeditetur *ab instinctu naturali*, an rursus *ab hominum malitiâ*.

Qu. XXVII. *Quid ergo statuendum?*

℞. Jura vel leges *affirmativa*, sive Deum sive homines respiciunt, cedunt necessitati, requirunt enim, ut servari possint, occasionem. Si in *negativis* necessitas veniat *à malitiâ hominum*, principaliter *mortem intendente*, & medium evadendi suppeditet *instinctus naturalis*, licebit istud usurpare, etiamsi à Deo sit prohibitum, quia Deus non præsumitur rigorem legis suæ hic velle exercere in utilitatem nequitiæ hominum. Si *evadendi medium* suppeditetur *à malitia hominum*, non licebit eo uti, quia qui ejusmodi

di medium offert, intendit ignominiam Dei, & acceptio ejus tacitam abnegationem Divini Numinis infert, hinc mors præferenda est vitæ. Unde quoque necessitatem evadere haut licebit violatione legis divinæ, si is, qui *necessitatis autor est*, *statim intendat actum legi contrarium* ob eandem rationem. Si necessitas *à Deo ortum ducat* & medium *instinctu naturali* suppeditetur, idem licitè adhibebitur, cum Deus hoc ipsô non offendatur, secus si medium eluctandi *malitia hominum* suppeditet, ob conjunctam Dei contumeliam. Dn. Thomas. *in Jpr. Div. L. 2. c. 2. n. 143. seqq.* conf. Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 3. art. 1.*

Qu. XXVIII. *Quotuplex est Jus Divinum positivum particulare?*

℞. Duplex, vel *Ceremoniale* quod externum cultum divinum Judæorum respicit, vel *Forense*, quod respicit causas fori Judaici, & respectum potissimum habuit ad Θεοκρατίαν Grot. *l. 1. 16. n. 2.*

Qu. XXIX. *An hujus juris usus adhuc hodie superest?*

 ℞. Neg.

℟. Neg. sed *Ceremoniale* exspiravit adventu Christi, & *Forense* extinctum fuit extinctâ Republ. Judaica ut nec normam præbeat, ad quam hodiernus Magistratus leges suas possit semper debeatque attemperare, nisi morale, quod manet, habeant. Zentgrav. *d. Tr. Sect. 1. Subsect. 2. de lege forensi. §. 3. & 5.* Reinking. *de Regim. Sec. & Eccl. L. 2. cl. 2. c. 3. n. 4. seqq.* Osiand. *ad Grot. h. c. th. 17. O. 2.*

Qu. XXX. *Quid est Jus humanum?*

℟. Est jus, cujus homo conditor est.

Qu. XXXI. *Quotuplex est hoc Jus?*

℟. Duplex vel *Gentium* vel *Civile.*

Qu. XXXII. *Quid est Jus Gentium?*

℟. *Est jus quod gentes humanæ ad communes suas utilitates & necessitates constituerunt §. 1. & 2. J. de J. N. G. & Civ.*

Qu. XXXIII. *Quomodo invaluit hoc apud Gentes?*

℟. Usu & experientia monitæ edoctæque Gentes, hoc vel illud utile esse ad constituendam conservandamque communem societatem, id postea sponte receperunt, cum rectæ rationi non repu-

gnare

gnare cognoverint Tesm. *ad Gr. b. c. §.14. lit. l.* Zentgrav. *de Orig. J. Gent. art. 6.*

Qu. XXXIV. *An hoc jus summas potestates & liberos populos obligat?*

℞. Neg. quia nullum jus, nisi quod *à superiore* fertur, obligationem & necessitatem inducere potest; at nemo in terris est superior gentibus & summis potestatibus, sed omnes illæ inter se sunt æquales, quarum altera alteram legis vinculo adstringere non potest. vid. infr. *b. l. c. 3. qu. 45.*

Qu. XXXV. *At non videtur ad legem requiri superior, sed & ex pacto gentium induci potest obligatio?*

℞. Consensus aut pactum Gentium per se non inducit obligationem, nec *peculiarem juris speciem*, de qua hic agitur, constituit, sed jus naturæ est quod paciscentes obligat ad pacta servanda. Neque constat unquam inter Gentes extitisse tale pactum universale, quod posset saltem in uno capite jus aliquod Gentium formare. Inde certum: nullam legem esse posse, nisi cui vis obligandi à superiore

imposita Dissent. Grot. *I. 1. 14. III. 4. 15.* Rachel. *Dissert. de Jure Gent. §. 12. 84. & seqq.* Zentgrav. *de Orig. J. Gent. art. ult. §. 5. seqq.* Huber. *de Jure Civit. L. 1. Sect. 1. c. 1. n. 2. c. 5. n. 2. & 25. seqq.*

Qu. XXXVI. *An ergo non datur Jus Gentium Gentes & summas potestates obligans?*

℞. Non aliud datur, quam ipsum Jus Naturæ, quod tamen, quia dirigit actiones gentium inter gentes, *juris Gentium* vocabulo notare nihil vetat Dn. Hertius *Tom. I. Opusc. Comment. de Lytra Sect. 1. §. 2. seqq.* Dn. Buddeus *Elem. Phil. Pract. P. 2. c. 1. §. 17. seqq.* Puf. *II. 3. 23.* Thomas. *de Fundam. J. N. & G. l. 1. c. 5. §. 75. seqq.*

Qu. XXXVII. *Possuntne hæ duæ species juris Gentium diversis vocabulis notari?*

℞. Aff. nam illud quod omnes populos & supremas potestates obligat, *Jus Gentium primarium*, quod vero communis utilitatis & necessitatis gratia inter gentes receptum est *Jus Gentium secundarium* commodè dici potest. Revera tamen

men illud ipsum jus naturæ est, hoc nihil aliud quam placita ac mores plurium Gentium denotat. Budd. *d. l.* §. 15. Struv. *S. J. Civ. Ex. 1. th. 49. & 54.* Differentias utriusque juris vide apud Kulpis. *Differt. Academ. 9, de Collat. Philosoph. Grot. circa acquisit. J. Gent.* §. 12.

Qu. XXXVIII. *An jus Gentium secundarium mutari potest?*

℞. Mutari & abrogari potest à summis potestatibus, & passim videmus mutatum in servitutibus, manumissionibus aliisque hujus juris articulis *L. 4. ff. de J. & J. §. pen. J. de J. N. G. & C. tot. tit. J. de R. D.*

Qu. XXXIX. *Differtne hoc jus Gentium secundarium à jure Civili?*

℞. In eo differt, quod Jus Civile *solis civibus* proprium, Jus Gentium secundarium etiam *extraneis competit*, qui propter communem utilitatem & necessitatem ad hujus juris participationem admittuntur. Cicero *de Offic. L. 3. c. 17.*

Qu. XL. *Quid est Jus Civile?*

℞. *Quod Superior ad Reipubl. suæ utilitatem, æqualitatemque inter cives servan-*

dam constituit §. 1. J. *de* J. *N. G. & C. L.* 9. *ff. de Just. & Jure.*

Qu. XLI. *An hoc Jus in decidendis bellicis negotiis adhiberi potest?*

R. Neg. quia belligerantes personæ sunt majestatem habentes, quas nullum jus humanum obligat. Jus autem civile saltem nexus est, quo copulantur subditi Superioris alicujus ad communem civitatis utilitatem. Grot. *Prol.* §. 25. & 26. vid. *infr. L.* 1. *c.* 3. *qu.* 15.

CAPUT II.

An bellare unquam justum sit.

Qu. I. *An jure naturæ bellum gerere licet?*

Aff. quia nec *primis naturæ*, nec illis, quæ *prima illa consequuntur* bellum repugnat. Ad *Conservationem enim sui* non saltem *instinctus naturalis* fertur, sed ea etiam *à Deo* ut singulis hominibus, ita & integris populis *est injuncta*, quam si non aliter, quàm per violentiam contra aliorum malitiam obtinere queamus, violenta ista conservatio omnino justa censen-

ſenda erit. Grot. *l. 2. 1. n. 4.* Dn. Budd. *El. Phil. Pr. P. 2. cap. 5. S. 2. §. 2. & Select. J. N. & G. Exerc. de Offic. Imper. circa conſen. mil. §. 2.*

Qu. II. *Quid ſunt Prima naturæ?*

℟. Sunt *inſtinctus naturales*, quos homo habet non ut animal rationale. ſed *ut ſenſu communi præditum.* Animal autem ſimul atque natum eſt, ſibi ipſi conciliatur, & commendatur ad conſervandum ſe ipſum & diligendum ſtatum ſuum, omniaque hunc ſtatum conſervantia; itidemque alienatur à ſui interitu ac omnibus eis, quæ interitum afferre videntur Grot. *d. §. 1. n. 1.*

Qu. III. *Quæ ſunt illa conſequentia?*

℟. Sunt quæ poſt prima naturæ cognita ſequuntur. Seu: ſunt notio vel intelligentia *convenientiæ rerum cum ipſa ratione.* Grot. *d. §. 1. n. 2.*

Qu. IV. *Quænam ex his duobus præferenda?*

℟. Præferenda ſunt *conſequentia* ſeu id quod ſana ratio dictat, Non quod illa prima naturæ pugnent cum ratione, ſed

quia præſtantius eſt, ut illo potius ducatur homo, *quo homo eſt*, ſecerniturq; à brutis, nempe *judicio & ratione*, quam hoc, quo quidem contra naturam nihil facit, attamen à brutis quoque nec recedit. Grot. *d. n. 2. ibiq;* Teſm. *lit. f. & m.*

Qu. V. *At recta ratio tamen vim & læſionem inhibet?*

℞. Alia eſt vis *jus alienum tollens*, alia *jus alicui quæſitum* adverſus vim ab improbis illatam *defendens*. Illam recta ratio prohibet, hanc commendat ob ſui conſervationem. Quando enim obligatio noſtræ conſervationis obſervari nequit, niſi aliorum malitia violenter depulſâ, ceſſat illa obligatio, quæ alios lædere vetat, quippe nulla ratio ſuppetit quare probi improborum injuriis expoſiti eſſe debeant, aut gens alteram potius, quam ſe ipſam conſervare teneatur Grot. *d. §. 1. n. 5. ibiq;* van der Muelen. Budd. *d. §. 2.*

Qu. VI. *An cum Jure Gentium bella conveniunt?*

℞. Aff. quia ex eo jure *certam formam* acceperunt, quam habentia bella peculiares effe-

effectus sequuntur, qui cessant, quando bellum non est, sed illegitima per vim certatio Grot, *l. 2. 4. n. 2. ibiq;* Tesm. *lit. c. & d.*

Qu. VII. *An jure Divino bella approbantur?*

℞. Aff. Nam in *Veteri Testamento* perpetuæ ac generales regulæ de modo belli gerendi à Deo præscribuntur *Deut. XX. 10--15.* Et Abrahamus quatuor Reges devicit, laudante Melchisedeco *Genes. XIV. 20.* Ac Moses arma apposuit Amalecitis *Exod. XVII. 10.* In *Novo* autem *Testamento* Johannes Baptista milites officii sui non deserendi, sed piè exercendi admonet *Luc. III. 14.* Et Paulus docet, gratum esse Deo, ut oremus pro Potestatibus, quo tranquillam sub earum tutela vitam agamus, quod sine armis fieri nequit. Idemque affirmat, illas esse ministros Dei, qui haut frustra gerunt gladium *1. Tim. II. 23.* ac ipse usus est militum præsidio adversus Judæorum insidias *Act. XXIII, 17. seqq.* Grot, *h. c. §. 5. & 6,*

Qu.

Qu. VIII. *In Sacris tamen admonemur ad lenitatem & jubemur colere mansvetudinem?*

℟. Jubemur in Sacris non resistere injurioso, percutienti maxillam præbere alteram, tunicam rapienti pallium insuper dare, diligere inimicos &c. Verum istis præceptis saltem interdicitur *vindicta privata*, non *publica* sine qua Superiores sibi subjectos tueri non possunt. Et ut ob injuriam *levem* aut rem facile recuperabilem patientiam exerceamus, ibi præcipitur. Grot. *h. cap.* §. *8. n. 3. seqq.* conf. Gerhardus *de Magistr. Polit.* §. *388. & 391.* Zentgrav. *in Summa Jur. Div. Sect. 4.* §. *12.* Burger. *Observ. Jurid. Polit. milit. Cent. 1. O. 1.*

CAPUT III.

Belli partitio in publicum & privatum, Summi Imperii explicatio.

Qu. I. *Quæ est belli prima & necessaria partitio?*

BEllum aliud est *Publicum*, quod autore eo geritur, qui habet Jurisdictio-

ctionem ſeu ſummum imperium. Aliud *Privatum*, quod à privato in privatum geritur, v. gr. à viatore in latronem, & aliud *Mixtum*, quod ab una parte publicum ab altera privatum eſt, ut quod gerit privatus in eum, qui ſummum habet imperium, at non in ſe Grot. *l.3.1.n.1.* & *c.4.§.1.ibiq.* Teſm. *lit.d.* & van der Muelen.

Qu. II. *An pari jure privatis, quo perſonis ſummum imperium habentibus bellum gerere licet?*

℞. Non, ſed privatis bellum gerere *regulariter* prohibitum, quia *judiciis conſtitutis* adire ſuperiorem, eumque ob injurias illatas conſulere poſſunt. Summi Principes in ſuis controverſiis *non agnoſcunt judicem*, ergo belli judicio utantur neceſſum eſt. Bellum enim ibi incipit, ubi judicium deficit Grot. *l.3.1.n.2.* Puf. *VIII.6.8.*

Qu. III. *Eſtne bellum privatum ſublatum poſt conſtituta judicia?*

℞. Neg. ſed ſaltem *nimia* ejus *licentia* reſtricta, quæ ante judicia valebat, Gr. *d.§.2.*

Qu.

Qu. IV. *Annon judicia sunt contra naturam?*

℟. Neg. ipsa enim æquitas & naturalis ratio dictat, honestius esse & humanæ naturæ convenientius, res ab iis cognosci, quorum nihil interest, quam homines singulos id manu exequi, quod jus putant Gr. *h. c.* §. *1. n. 2.*

Qu. V. *Quando ergo locus est privato bello?*

℟. Quando *judicia cessant*, quia lex vetans suum sine judicio consequi, accipi debet, ubi copia est judicis Grot. §. *2. n. 1.*

Qu. VI. *Quot modis cessant judicia?*

℟. Cessant vel in Civitate vel extra illam. *In Civitate* cessant vel *momentaneè*, quando eo ipso momento, quo vi certatur, non potest judex exspectari sine evidenti periculo, ut in latronis invasione, in debitoris fuga; vel *continuè* cum subditi non audiunt judicem, vel si judex apertè rejiciat causæ cognitionem. *Extra civitatem* cessant, quando quis versatur in locis à nullo populo occupatis, ut in solitudine, vel in insulis vacuis Grot. *d.* §.

d. §. *2. n. 1.* Huber. *de Jure Civ. L. 3. S. 4. c. 4. n. 21. seqq.*

Qu. VII. *Quotuplex est bellum publicum?*

℟. Duplex vel *Solenne*, quod geritur autore eo, qui summam habet potestatem in civitate, & cui ritus quidam adsunt v. gr. denuntiatio, vel *Minus solenne* quod ritibus illis carere potest, & geri in privatos, & autorem habere quemvis magistratum. Grot. §. *4. n. 1. & 2. ibiq;* Tesm. *lit. f.*

Qu. VIII. *Licetne minoribus magistratibus bellum gerere?*

℟. Regulariter non licet, etiamsi ipse Princeps *injuriam invasionis prosequi negligat*, aut inferiori Magistratui *prompta occasio* sit injurias vindicandi. Quando tamen ita *præsens est periculum*, ut tempus non ferat eum consuli, qui supremum in civitate jus habet, necessitas *facultatem se defendendi* porrigit, videtur enim majestas maluisse civitatem quacunque ratione salutem suam procurare, quam ab hostibus capi Grot. *d.* §. *4. n. 3.*

n.3. & §. *5. n. 3.* Dn. Budd. *Select. 3. Nat. & Gent. Exerc. ult.* §. *111. seqq.* Joh. Voet. *de jure milit. c. 1. n. 13.*

Qu. IX. *Quid si minori magistratui à superiore delegata belligerandi potestas?*

℞. Tunc sanè censendum erit, bellum geri ex *vi summæ potestatis*, nam quod faciendi quis jus alii dat, ejus ipse autor censetur Grot. §. *5. n. 2.*

Qu. X. *An igitur solius Majestatis est bellum publicum gerere?*

℞. Aff. quia salutem populi tueri solius summi imperantis est, quod & armis licebit, si aliter fieri non possit. Et bello tota civitas in periculum venit, in quod privatus alterum adducere nequit Grot. *d.* §. *4. n. 2.* Bœcl. *Inst. Pol. L. 2. c. 7.* & *Dissert. Polit. 5.*

Qu. XI. *Quid est Majestas?*

℞. *Est summa ubique* (i. e. in personas & res) *in Civitate potestas*, cujus actus alterius voluntatis humanæ arbitrio non possunt irriti reddi Grot. §. *7. n. 1.* Puf. *VII. 6. 1.* & *2.* Dn. Budd. *El. Ph. Pr. P. 2. c. 4. S. 13.* §. *10.*

Qu.

Qu. XII. *Quid & quænam sunt affectiones Majestatis?*

℞. Sunt *propria ejus attributa*, quæ ex natura ejus fluunt, & eidem semper adsunt v. gr. quod Majestas sit 1. summa 2. nemini obstricta ad rationes 3. Legibus superior 4. Sancta &c. Puf. *d. c. 6. & de O. H. & C. L. 2. c. 9. ibique* Titius.

Qu. XIII. *Quibus legibus princeps est superior?*

℞. *Humanis & civilibus*, quia hæ tam in origine quam in duratione à majestate dependent. Inde fieri non potest, ut per istas idem directè obligetur, cum alias idem se ipso superior foret. Ex æquitate tamen naturali & decoro publico etiam leges à se latas servat. Non est superior *legibus divinis & naturalibus*, quamvis ob earum transgressionem ab hominibus puniri non possit, sed peccata ejus Deus sibi curæ esse testatur Grot. *l. 3. 8. n. 14. in f.* Puf. *d. c. 6. §. 3.* Horn. *de Civit. II. 2. 10. & 11.*

Qu. XIV. *Quænam causa Majestatis est?*

℞. Alii eam *immediatè* esse & conferri

à Deo volunt, ac populum in civitate non applicare majestatem personæ, sed tantum designare personam statuunt, in quam divinitus effunditur majestas Ziegl. *de J. Maj. I.* 1. *46. seqq. & ad Grot. h. c.* §. 7. Horn. *d. l. II.* 1. 7. *seqq.* Bœcl. *Inst. Pol. L.* 2. *c.* 1. *p.* 98. *seqq.* Alii ita asserunt: *Populum consensu suo* imperium transferendo in Regem *majestatem producere*, Deum vero hoc salubre institutum consequenter probare Grot. *l.* 2. 7. *n.* 3. *& l.* 4. 4. *&* 7. Alii denique mediam sententiam eligunt & statuunt: *Deum* esse *causam* Majestatis *summam & primam*, à quo in genere producitur & conservatur, *homines* vero, coeuntes in civilem societatem, *pactis suis* eandem, ceu qualitatem moralem, producere, eosque hinc suo consensu alicui tribuentes imperium, esse *causam* ejus efficientem *proximam* Puf. *VII.* 3. 1. *seqq.* Becm. *Diss. de. Divino vicar. Princ. c.* 3. §. 3.

Qu. XV. *Quæ ex his sententiis probanda?*

℞. Ultima quæ media dicebatur. Negari

gari enim nequit, in collatione Majestatis multa ab *arbitrio populi* cujus respectu etiam in Sacris *Ordinatio humana* dicitur *1. Petr. II. 13.* Simul tamen certum, & *à Deo* istam potestatem esse, quia non potest non ejus voluntatis esse, quod in *salutem totius humani* generis constitutum est. Imo speciali quadam ratione Deus concurrit, quando *civium voluntates dirigit*, ut in hunc hominem, vel hanc familiam summam illam potestatem conferant. Inde hoc intuitu *Ordinatio divina* dicitur *Rom. XIII. 1. 2.* Dn. Thomas. *Jpr. Div. III. 6. 71. seqq.* Kulpis. *Coll. Grot. Ex. 2. §. 8.* Huber. *d. Tr. L. 1. Sect. 7. c. 4. §. 14. seqq.* Hert. *Tom. I. Comment. de modo constituendi civit. Sect. 2. §. 3. & 4.*

Qu. XVI. *An non hoc ipso, quod majestas immediate à Deo esse negatur, aliquid sublimitati Principum detrahitur?*

℞. Neg. sed quia à Deo omnino Majestas est, in Principibus sacrosancta habenda, nec in eam civibus insurgere aut

quicquam ei detrahere licet. Thomas. *d. l.* Hert. *d. l. §. 4. in f.*

Qu. XVII. *An populus privative an cumulative majestatem confert?*

℟. *Privative*, h. e. nihil imperii sibi populus reservat, sed conferentes non modo singuli, verum & universi subjiciuntur. Interdum tamen *collationi certa pacta* adjiciuntur, quibus summum imperium ad certam regiminis formam & modum adstringitur. Dn. Buddeus *d. l. §. 12. seqq.* Dn. Becm. *Med. Pol. c. 12. §. 6. & Pol. Parall. c. 12. §. 6.*

Qu. XVIII. *Rectene Majestas in Realem & personalem dividitur?*

℟. Neg. quandoquidem per *Realem* intelligitur Majestas, quæ toti civitati reservata, & per *Personalem* quæ in paucos vel unum imperantium translata, quia Majestas summum est jus, quod *unum & solum* tantum est. Hinc pugnaret summam habere potestatem, & tamen eandem *alteri subjacere*, vel ab altero in suis operationibus impediri posse, quod amplius

plius ſummum non eſſet. Præterea in *Democratia* talis duplex Majeſtas oſtendi non poteſt, nec poterit proinde in cæteris Reipubl. formis. Bœcl. *Inſt. Pol. L. 2. c.1. p.94.* Huber. *Lib. 1. Sect. 3. c. 1. n. 11. ſeqq.*

Qu. XIX. *Eſt tamen duplex Subjectum Majeſtatis ſcil. Commune & Proprium?*

℞. Ex hoc diſcrimine Subjecti non poteſt inferri duplex majeſtas, ſed ſenſus eſt: quatenus nulla civitas ſine ſummo imperio eſſe poteſt, ſi confusè quæratur, ubinam imperium reperiatur, reſpondetur iſtud exiſtere in quavis civitate, quæ *Subjectum Commune:* ſi quæratur diſtinctius, quænam perſona imperium in civitate habeat, reſpondetur, vel Rex, vel Senatus vel Populus, & hæc perſona *Subjectum* Majeſtatis proprium vocatur. Grot. *§. 7. n. 1. & 3. ibiq.* van der Muelen. Puf. *VII. 6. 4.*

Qu. XX. *Cui uſui tamen ab aliquibus diſtinctio m[...]ſtatis realis & perſo[...]lis adhibetur?*

R. Ut defendatur cuicunque populo jus esse puniendi coercendique regem, quoties summo imperio abutitur. Sed hæc sententia periculosa est, & multis malis ansam dedit, & dare etiamnum posse experta est Anglia, quando hoc jure usa in Carolum I. Regem exemplum sine exemplo statuit. Grot. §. 8. *n.* 1. Ziegl. *de Jur. Maj. Lib.* 1. *c.* 1. §. 15.

Qu. XXI. *An Optimatibus in Aristocratia & Populo libero in Democratia ut Regibus in Monarchia par est majestas?*

R. Aff. quia imperium, quod civitas nemini subjecta condit, *proprium ejus* non extranei est, ut pote sine quo illa consistere non potest. Errat ergo Hornius *de Civit. L.* 3. *c. un.* §. 2. qui contrarium statuit, quia Majestas, quæ indivisa, in Aristocratia & Democratia in plures dividenda venit. Nam etiam in his formis *indivisa* manet, & in una *persona morali* hæret, quam omnes simul gerunt. Non enim *seorsim singuli partem majestatis* habent, sed *omnes conjunctim*, & sin-

ſinguli ut membra neceſſaria conſtituendæ majeſtatis conſiderandi ſunt. Grot. *l.* *3. 8. n. 6. & 7.* Puf. *de J. N. & G. VII. 5. 5.* Becm. *Med. Pol. c. 12. §. 7.*

Qu. XXII. *Quinam vero in his Rebuspubl. conceſſa illis majeſtate, parentes erunt?*

℞. Quia in *Ariſtocratia* jus imperandi Procerum eſt, excluſa plebs ibi paret: In omni verò *Democratia* ſemper aliqui, ut valdè inopes, externi, fœminæ & adoleſcentes reperiuntur, qui à publicis deliberationibus arcentur, & ſub legis obſequio tenentur. Quidam etiam populi *alios populos* ſub ſe habent, non minus deditos ſibi, quam ſi regibus parerent. Grot. *d. n. 6. & 7.* Huber. *L. 1. Sect. 8. c. 4. n. 27. ſeqq.* Dn. Thomaſ. *in not. ad Hub. L. 1. S. 2. c. 4. n. 10. & c. 5. n. 41.*

Qu. XXIII. *Quando in collationem ſummi imperii conſentire videtur populus?*

℞. Quando homines in naturali libertate conſtituti ſecuritatis ſuæ gratia conſenſerunt in civitatem, illi, conſtituta

civitate, postea decernunt qualis forma regiminis sit introducenda. Hâc electâ deinde pactum adhibent, quo ille vel illi constituuntur, in quem vel quos regimen suæ civitatis collatum esse debeat. Atque hoc pacto imperans vel imperantes ad curam communis securitatis & salutis, reliqui ad obsequium his præstandum sese obstringunt. Hert. *d. l. Sect. 1. §. 2. & 3.* Pufend. *VII. 2. 6. seqq. & de Off. Hom. & Civ. Lib. 2. c. 6. §. 7. seqq.*

Qu. XXIV. *An consensus populi in conferendo imperio se semper uno modo habet?*

℞. Neg. sed potest ille vel *ultro* intervenire, quando cives ad aliquem Principem constituendum sponte accedunt, adhibitâ *electione*, quæ vel *libera* est vel *restricta*; vel potest *vi* elici, quando per violentiam bellicam victi coguntur in victoris imperium consentire, qui modus vocatur *Occupatio*. Puf. *VII. 7. 1. 6.* Zentgrav. *in Summa Jur. Div. Sect. 1. art. 2. Subsect. 2. §. 7. 8. 9.*

Qu.

Qu. XXV. *An legitimo titulo acquiritur imperium per occupationem bellicam?*

℞. Aff. si victor nitatur *justa* bellandi *causa* & subsequente *consensu victorum* imperium victoris agnoscatur, quia descendens cum altero in bellum, quem ipse antea læserat, & cui æquam satisfactionem præbere renuerat, omnes suas fortunas *Martis alea* exponit, & hunc eventum belli approbat. Puf. *VII. 7. 3.* Thomas. *Jprud. Div. III. 6. 94. seqq.* Hert. *d. Sect. 1. §. 4.*

Qu. XXVI. *Quid si per vim injustam occupetur imperium?*

℞. Distinguendum an injustus invasor per vim *Democratiam* verterit in Monarchiam, an *Monarcha* vel *Optimatibus* ejectis se in eorum locum immiserit. *Priori casu* imperium invasoris non fit legitimum, nisi consensu populi accedente. *Posteriori casu* invasionis iniquitas demum purgatur, si pristini imperantes extincti sint, vel eo nomine transactum fuerit. Subditi tamen inte-

rium *invasori parere* tenentur, ob exercitium imperii, quod actu habet, etiam contra antiquos dominos, quia pro illis ut faciant ultra id, quod jam fecerunt, postulari nihil potest. Puf. *VII. 7. 4.*

Qu. XXVII. *Quas cautiones suppeditat Grotius ad judicium de summa potestate informandum?*

℞. I. *Cavendum esse, ne decipiamur ambiguo Nominis sono, aut rerum externarum specie.* Sæpe enim Principes aut Reges aliqui vocantur, qui tantum nomine tales sunt, & saltem jus precarium autoritatemque svadendi, non vero jubendi potestatem habent. E contrario tituli splendore alii abstinent, & tamen absolutam potestatem habent.

II. *Aliud esse de re quærere, aliud de modo habendi.* Hinc distingvendum inter *Summitatem imperii* & *habendi plenitudinem.*

III. *Non desinere summum imperium, etiam si is qui imperaturus est promittat aliquid subditis, etiam quæ ad imperii rationem pertinent.*

IV. *Quan-*

IV. *Quanquam summum imperium unicum quiddam sit, ac per se indivisum, fieri tamen, ut à pluribus sustineatur.* Grot. §.*10.11.12.16.17.*

Qu. XXVIII. *Quid ergo, an Majestatem habent populi, qui in alterius ditionem concesserunt?*

℞. Neg. quia non sunt civitas aut *cœtus perfectus* liberorum hominum, sed sunt membra *minus digna* perfectæ civitatis, cujus actus *alterius arbitrio* subsunt. Grot. §.*7.n. 2.*

Qu. XXIX. *An potest esse unum caput plurium populorum, qui tamen singuli perfectum cœtum constituunt?*

℞. Aff. in *morali* enim corpore *eadem persona* potest esse caput plurium & distinctorum corporum, diversa ratione considerata, secus ac in naturali corpore. Sic Carolus V. Germaniæ, Hispaniæ & multarum aliarum provinciarum caput fuit & Princeps. Grot. *d.* §.*7. n. 2. ibique* Tesm. Hert. *Opusc. Tom. 3. Differt. de uno hom. plur. sustin. person. Sect. 2. & 3.*

Qu.

Qu. XXX. *An singuli isti populi Majestatem retinent?*

℞. Non *durante* domo regnatrice, sed ea *extincta*, quia tunc imperium redit ad quemcunque populum seorsim. Grot. *d.n.2.* Dissent. Ziegl. *b.c.p.127.* & Hennig. *p.189.*

Qu. XXXI. *Civitates quæ arctissimo fœdere junguntur, an singulæ retinent Majestatem?*

℞. Quia manent cœtus perfectus, & retinent sua jura, leges & libertatem, etiam retinent majestatem, & quæ communi consensu tractanda negotia, ex unitatis fœdere venit. Exemplum in civitatibus Helveticis, fœderati Belgii. Grot. *d. n.2.in f. & l.2.c.9.§.9. ibique* Tesm. & van der Muelen.

Qu. XXXII. *Annon Majestas semper penes populum est, quia regem constituit populus, ergo est rege superior?*

℞. Non universalis est hæc regula: *Constituentem constituto esse superiorem*, sed saltem procedit, quando constitutionis effectus perpetuo pendet à voluntate con-

constituentis; fallit autem in ea constitutione, *quæ ab initio est voluntatis, postea vero effectum habet necessitatis*, velut mulier sibi quidem virum constituit, cui tamen semper parere necessum habet. Item minor sibi curatorem constituens. Itaque & populus sibi Regem constituens eo non est superior, nec proinde majestatem retinet. Grot. §. *8. n. 13. ibique* van der Muelen Puf. *VII. 6. 6.*

Qu. XXXIII. *Quia tamen Rex est propter populum, populus Rege videtur superior?*

℞. Nec hoc universaliter verum est: *Omne regimen eius, qui regitur, causa comparatum esse*, possunt enim quædam imperia comparata esse *ad regum utilitatem*, ut quæ victoriâ parta sunt. Possunt & quædam utilitatem respicere *tam eius qui regit, quam eius qui regitur*, ut cum populus impotens sibi tuendo regem potentem imponit. Licet autem in plerisque imperiis per se respiciatur utilitas eorum qui reguntur, non ideo tamen sequitur, populos rege esse superiores, nam

&

& tutela pupilli causa reperta est, & tamen tutela jus est & potestas in pupillum §. 1. *J. de Tutel.* Grot. §. 8. *n.* 14. Puf. *d. l.*

Qu. XXXIV. *An ut tutor malè administrans removeri potest, ita & Rex videtur removendus, si malè imperet?*

℞. Neg. tutor removeri potest, quia superiorem habet, Rex non potest, quia non agnoscit superiorem; imperantium enim peccata Deus sibi curæ peculiari esse testatur, qui ea aut vindicat, si ita opus judicet, aut tolerat in pœnam, aut explorationem populi, Grot. *d. n.* 14. *ibique* Gron. Zentgrav. *in Summa J. Div. Coron.* §. 18. & 19.

Qu. XXXV. *Leguntur tamen populi puniti ob Regum peccata?*

℞. Non ideo leguntur puniti, *quod regem non puniverint* aut reprehenderint, cum enim populus rege maneat inferior, non potest nec tenetur ejus delicta prohibere aut punire; sed vel ideo puniti, quia *approbarunt* Regum peccata, vel quia Deus *summo suo dominio*, quod in vitam

ne-

necemque singulorum habet, *uti voluit*, tollendo subditos in pœnam regis, cujus *supplicium* est subditis orbari. Grot. §. 8. *n.* 16. *ibique* van der Muelen.

Qu. XXXVI. *Estne mutua subjectio inter populum & regem, ut is regi si benè, rex verò populo subjiciatur, si malè imperaverit?*

℟. Neg. quia sicut *actuum bonitas* per se non est sufficiens quenquam collocandi in regale solium; ita ex adverso *malitia* non sufficit, ut aliquem dejiciat, & populo imperium conferat, cum horum obtentu *summa confusio* enasci posset, quoniam semper futuri essent, qui regi malitiam actuum suorum exprobrarent, & se superiores rege jactitarent, Grot. §. 9. *ibique* Ziegl. Osiand. *th.* 9. *Obs.* 1.

Qu. XXXVII. *An summum imperium haberi potest jure temporario?*

℟. Aff. quia duratio temporis *non variat* speciem summæ potestatis, modo acta imperantium intra suum tempus infirmari non possint. Sed summum imperium non habuit *Dictator Romanus.*

Budd.

Budd. *Sel. J. Nat. & G. Ex. ult.* §. *46. seqq.* Puf. *VII. 6. 15.* Dissent. Grot. §. *11. n. 2. ibique* van der Muelen. Horn. *de Civit. L. 2. c. 10.* §. *3.* Nec habent *Curatores Regum* impuberum aut furiosorum, sed hic majestas penes regem manet, cujus nomine curatores administrant. Ziegl. *de J. Maj. L. 1. c. 1.* §. *42.* Becm. *Med. Pol. c. 12.* §. *10.* Hert. *de Tutela Regia Sect. 2. n. 9. sqq.*

Qu. XXXVIII. *An desinit summum imperium esse, si imperaturus promittat aliquid* Deo *aut subditis?*

℞. Si Deo aut subditis promittat *de observatione juris Divini vel naturalis*, ad quam omnes reges tenentur, etiamsi nihil promiserint, summum imperium non desinit. Nec desinit, si promittat *de regulis quibusdam exercendi summum imperium*, ad quas sine promisso non teneretur, sive promissio cadat *in exercitium actus* sive *directè in ipsam facultatem*, utut imperium quodammodo arctius reddatur. Nam licet priore casu factum contrarium Principis sit *injustum*, & posteriore *nullum*, fit tamen hoc non

ex

ex *vi* aliqua *superioris* potestatis, sed *ex ipsa Principis promissione* quæ hunc effectum habet, ut quicquid contra datam fidem factum fuerit, ipso jure vel injustum vel nullum esse censeatur. Grot. §. *16. n. 1. & 2. ibique* Tesm. Ziegl. *d. l.* §. *14. & 15.* Puf. *VII. 6. 10.* Aliter Kulpis. *Coll. Grot. Ex. 2.* §. *10.*

Qu. XXXIX. *Quid si addatur clausula: ut rex regno cadat, si fidem fallat?*

℞. Nec tunc desinit esse summum imperium, sed saltem *habendi modus imminutus* per conditionem. Neque ista clausula ob abusus periculum in effectum perduci potest, itaque tantum *in præmunimentum nexus publici* inter Principes & subditos adjicitur. Grot. *d.* §. *16. n. 4.* Dn. Becm. *Conspect. Pol. c. 14. p. 70. & Diss. de Jure Subdit. circa sacra c. 4.* §. *17.*

Qu. XL. *An Majestatem habent, qui Suprematum Pontificis in personis & causis Ecclesiasticis agnoscunt?*

℞. Aff. quia saltem qualitas quædam

accidentalis est, ob quam istæ personæ & causæ potestati civili non subjiciuntur, quæ tamen quoad *qualitatem naturalem*, seu quatenus homines & cives sunt alicujus status, suo Principi subjectæ manent. Ziegl. *de Jure Majest. L. 1. c. 1. §. 23.*

Qu. XLI. *An inæqualiter fœderatus summum imperium habere potest?*

℞. Aff. si fœdus *non contineat imminutionem summi imperii*, ut si convenerit, unum populum alterius Principis populive majestatem comiter conservare debere, quia hoc adjicitur, ut intelligatur, alterum Principem autoritate & dignitate, non potestate esse superiorem. *Neg.* si fœdus *ad imminutionem summi imperii* initum v. gr. ut provocandi facultas sit civibus sociorum adversus sententiam suorum imperantium ad aliquem ex fœderatis, vel ad commune Concilium. Grot. *§. 21.* Huber. *L. 1. Sect. 3. c. 3. n. 21. seqq.*

Qu. XLII. *At sæpe accidit, ut qui superior in fœdere, si potentiâ multum prævaleat, summum imperium usurpet?*

℞. Verum hoc est, præsertim si fœdus *perpetuum* sit & cum jure *præsidia inducendi* in oppida. Hinc *prudentiæ* civilis est circa ineunda fœdera inæqualia, ut inferior sibi prospiciat, ne quid potentiori concedat, cujus prætextu paulatim sibi potentiam in minorem usurpet. Gr. §. *21. n. 10. ibique* van der Muelen.

Qu. XLIII. *An majestatem habent, qui certum quid pensitant?*

℞. Aff. si id faciant ad redimendas injurias, vel ad tutelam comparandam, quia istiusmodi pensiones, non ex *imperio* alterius, sed ex *pacto* & conventione fluunt. Quanquam infirmitatis confessio aliquid de dignitate delibat. Grot. §. *22.* Becm. *Med. Pol. c. 20. §. 1. & Pol. Parall. c. 20. §. 3.*

Qu. XLIV. *An Vasallus feudi illustris Majestatem habet?*

℞. Aff. quia vis summi imperii non in nominibus aut institutis externis, sed in *exercitio jurium summæ majestatis* consistit, idque suo nomine, hinc ubi idem effectus, ibi etiam idem imperium obti-

 net,

net. Exhibitio vero fidei & præstatio servitiorum cum feudali Jurisdictione non procedunt ex *cogente aliquo imperio*, sed *ex initis* inter utramque partem *placitis* Grot. §. 23. *ibique* Hennig. & van der Muelen. Lyncker *in not. ad Bœcl. Instit. Pol. L. 2. c. 1. voce de Vasallis p. 61.*

Qu. XLV. *An ergo inæqualitas potentiæ vel autoritatis non minuit paritatem Summitatis?*

℞. Non minuit, quia vires agendi summitatem non constituunt, nec jus in armis positum est. Hinc antequam peculiare factum aut *pactum humanum* intercedat, quo gens in gentem jus aliquod sibi acquirit, vel ex *maleficio aut damno per injuriam dato* ab altera ejus reparationem læsa prætendere possit, nihil potestatis in eam habet, aut jure sibi arrogare valet, sed potius cæteras Gentes æquo jure secum vivere pati debet Zentgrav. *de Orig. & Verit. Jur. Gent. Art. 3. §. 3. 10. 11. 12.*

Qu. XLVI. *An infantibus summum imperium competit?*

℞. Aff.

℞. Aff. ex voluntate populi, Principatum transferentis in univerſam familiam, nam ita in infantem tanquam partem familiæ iſtum quoque transtuliſſe videtur. Adminiſtratio tamen ſummi imperii durante impubertate interim aliis conceditur Dn. Coccej. *de Tutel. Illuſtr. Sect. 2. §. 1. ſeqq.* Dn. Becm. *Conſp. Pol. c. 14. p. 71.*

Qu. XLVII. *Cui interim competit illuſtris pupilli tutela?*

℞. Niſi voluntas Regis deceſſoris, lex aut mores regni aliud conſtituant, *proximus agnatus* tutelam adminiſtrabit, quia is *ad familiam regiam* pertinet, in quam gubernatio Reip. tranſlata Grot. *h. c. §. 15.* Coccej. *d. l. §. 7.* Hertius *Tom. I. Comment. de Tutela Regia Sect. 1. §. 11. ſeqq.*

Qu. XLVIII. *An ſummitas imperii æſtimanda ex diſcrimine delationis facta per ſucceſſionem aut electionem?*

℞. Multi per illam ſumma, per hanc delata ſummo minora imperia dicenda

 arbi-

arbitrantur. At hoc universim verum non est. Nam successio *non est titulus imperii*, qui imperio formam assignet, sed *veteris continuatio*. Jus enim ab electione familiæ cœptum, succedendo continuatur, quare quantum prima electio tribuit, tantum defert successio. Fieri ergò potest, ut imperium, quod *continua electione* defertur, *latius pateat*, quam quod successio defert, *ob voluntatem populi* plus quandoque tribuentis. Et quando successio *imperii augmentum* defert, hoc non *successioni*, sed *quasi novæ ac primæ electioni* tribuendum erit Grot. *§. 10. n. 5. ibique* van der Muelen.

Qu. XLIX. *An æque in non patrimonialibus ac patrimonialibus regnis Reges habere possunt majestatem?*

℟. Aff. quia modus habendi non variat rem. Sunt autem *Patrimonialia* regna, quæ armis quæsita, vel in quibus populus majoris mali vitandi causa se sine conditione subjecit, ac ita in Regem transtulit, ut ab eo alienari possint. *Non patrimo-*

monialia dicuntur, quæ populi voluntate delata, & in quibus Reges *Lege quadam fundamentali* aut consvetudine adstricti, ne alienent regnum Grot. §. *11. 12. & 13.* Puf. *VII. 6. 14. 16. 17. ibique* Hert. *d.* §. *14.* Budd. *Select. J. Nat. & Gent. Ex. de Testam. Summ. Imp. c. 1.* §. *22. seqq.* Dissent. Dn. Coccej. *Disp. de Testam. Princ. c. 2.* §. *16.*

Qu. L. *At regnum semper in patrimonio populi esse videtur, quia sanguine civium quæsitum?*

℞. Non omnia regna quæruntur ope & sanguine civium, sed ex *privato* quoque *Principis patrimonio*, ad quod etiam pertinent *fructus ex patrimonio populi* percepti, qui Principis sunt proprii. Hinc evenire potest, ut Rex in quosdam populos impensis suis devictos patrimoniale regnum habeat Grot. §. *12. n. 3. ibique* Tesm. *lit. u.*

Qu. LI. *Quomodo imperia in patrimonio esse possunt, cum liberi homines non sint in commercio?*

℞. *Jus imperandi* est in commercio &

patrimonio, & hoc quidem, non liberi homines alienantur. Non enim infrequens est, ut res ipsa non sit in commercio, sed jus tamen aliquod circa rem in illo habeatur *L. 14. C. de Legat.* Grot. §. *12. n. 2. ibique* Tesm. *lit. n.* & van der Muelen. *ad* §. *11. n. 1.* Puf. *VI. 3. 7.*

Qu. LII. *Potestne aliquis summum imperium habere, & tamen non plenum ac viceversa?*

℞. Aff. si per plenitudinem habendi intelligatur *exercitium imperii externum*, nam hoc quandoque in summo Principe sine præjudicio summitatis limitari Horn. *de J. C. L. 2. c. 10.* §. *7.* quandoque non summo Principi liberius concedi potest. Non si intelligatur *ipsum imperium*, nam hoc ut summum ad omnes actus se extendit, nec uni hæc pars Majestatis, alii alia per se radicaliter inhærere potest, ad evitandam summitatum pluralitatem Hennig. *ad Grot. h. c.* §. *14.*

Qu. LIII. *An summum imperium dividi potest?*

℞. Summum imperium in se unum quid-

quiddam & indiviſum eſt, quia *à natura ſummitatis deficit*, ſi plura ſumma concipiantur, cum ita ſingula per ſe non ſumma ſed idem ſint. Quoniam vero per diverſos actus circa varia negotia civilia, tanquam objecta ſua, ſummum imperium occupatur, velut *totum* aliquod varias ſuas *partes poteſtativas* ſeu potentias habere intelligitur Puf. *VII. 4. 1.* Aliter Grot. *h. c. §. 17.* ubi vid. van der Muelen.

Qu. LIV. *An hoc modo ſit diviſio imperii, ſi populus adhuc liber futuro regi aliquid imponit faciendum vel non, quod ſub lege pœnæ obſervare tenetur?*

℞. Neg. ſed hic rex *tantum titulum* habet, populus *ſolus imperium* quia qui puniri, aut cui imperari poteſt, ille inferior eſt imperante. Teſm. *ad Gr. h. cap. §. 17. n. 1. lit. h.* Puf. *VII. 4. 14.*

Qu. LV. *An ſit diviſio cum reges acta quædam ſua nolint eſſe rata, niſi probentur à Senatu aut alia cœtu?*

℞. Neg. ſed *ſolius regis* eſt imperium,

qui ipsi sibi hoc pacto cavet, ne quid pro vera voluntate habeatur, quod fallaciter impetratum. Unde acta *ipsius Regis* imperio rescindi intelliguntur, qui si in suâ sententia persistat, Senatus *regi parere* tenetur, qui saltem autoritatem suadendi habet. Grot. §. 18. Becman. *in Hist. Civ. c. 3. §. 8. & 14.*

Qu. LVI. *Quanam optima est Reip. forma?*

℞. Multi pro *Monarchia* calculum ponunt, quia negotia publica ibi celerius expediuntur. Hennig. *h. c. §. 8. verb. qualemcunque* Lipf. *in Monit. pol. L. 2. c. 1.* Alii pro *Aristocratia*, quia in ea liberrimum imperium, sine periculo tyrannidis & confusionis haberi potest. Huber. *de J. C. L. L. 1. S. 7. c. 1.* Alii pro *Democratia* ob æqualitatem & libertatem. Clasen. *Polit. L. 2. c. 8. §. 2. & 3.* Verum quia in unaquaque harum vitia & incommoda tam hominum quam status reperiuntur, de quibus Clasen. *L. 6. c. 4. 6. & 8.* Puf. *VII. 5. 10.* ex comparatione commodorum & incommodorum quæ singulas formas

co-

comitantur, de præstantia unius præ altera dijudicandum erit, ac tunc ex mente Aristotelis concludendū: *Eam esse optimam formam, quam in usum deducere valemus.*

Qu. LVII. *An jura Majestatis differunt à Majestate?*

℟. Simul sumta non differunt realiter à majestate, sed sunt *ipsissima Majestas*, ab objectis vel effectis tamen diversimodè denominantur. Sic eadem suprema potestas est, per quam qui imperant leges ferunt, judicia, Magistratus constituunt, sacra curant, bellum gerunt &c. Puf. *VII. 4. 11.* Bœcler. *Inst. Pol. L. 2. c. 2. sqq.*

Qu. LVIII. *Quomodo dividi possunt jura Majestatis seu Regalia?*

℟. Doctrinæ gratia dividi possunt in *Transeuntia* quorum exercitium maximè tendit ad alias respubl. v. gr. jus legatorum, belli, pacis, fœderum, & *Immanentia*, quæ in ipsos cives exercet Majestas, ut sunt jus leges ferendi, circa sacra, pœnas, dignitates, &c. Puf. *d. l.* Ab aliis Regalia in *Majora* & *Minora* dividuntur, quæ divisio toleranda, si *majus* dicatur, non quod

quod originem suam habet à majestate (quia sic omnia forent majora) & *minus* cujus fundamentum est ambiguitas privati dominii, sed si discrimen ponatur *in fine*, quia majestas per majora sibi immediatè consulit, per minora vero fiscus Ziegler. *de Jure Maj. L. 1. c. 3. §. 28. seqq.* Huber. *L. 1. S. 3. c. 6. & 7.* Lyncker *in not. ad Bœcl. Inst. Pol. L. 2. c. 2. voce Minora.*

CAPUT IV.

De

Bello Subditorum in Superiores.

Qu. I. *Quid si Imperans subditis suis aliquid imperet, juri naturali aut divino contrarium?*

NOn debent parere, quia talia facere nequeunt sine offensione Dei, cui magis parendum quam hominibus. *Act. IV. 19. & V. 29. Exod. I. 15. 16. 17.*

Qu. II. *Si autem subditi injuriâ afficiantur à summa potestate, an contra eam arma sumere possunt?*

℞. Neg. sed potius injuria toleranda, &

& preces opponendæ, quia civili societate constituta prohibitum est jus istud resistendi promiscuum, cum illa societas aliter finem suum, qui est, ut quietè & tranquillè vivat, consequi non posset. Grot. *I. 4. 1. & 2.*

Qu. III. *An hoc etiam S. Scriptura probat?*

℟. Aff. nam mortis supplicio damnatur, qui inobediens fuerit Summo Pontifici, aut ei, qui extra ordinem rector populi à Deo constitutus. *Deut. XVII, 12.* Osiand. *ad eb. 3. O. r.* Et Christus præcepto de dando Cæsari, quæ sunt Cæsaris, omnem obedientiam summis potestatibus præstandam inculcat. *Matth. XXII, 21. Marc. XII, 17. Luc. XX, 25.* At Paulus *ad Rom. XIII.* requirit subjectionem cum non resistentia. Grot. *§. 3. & 4.*

Qu. IV. *An hæc obtinent tantum in singulis privatis, an vero etiam in Magistratibus à Principe constitutis?*

℟. Fuerunt Viri docti, ut David Paræus & alii, qui sub certis conditionibus his

his magistratibus permissum esse putarunt resistendi Superioribus, quia officium magistratus inferioris est defendere suos subditos contra vim atrocem Tyrannorum extraneorum & domesticorum. vid. Osiand. *h. c. th. 6.* Verum parum rectè. Quamvis enim Magistratus tales, inferiorum ratione habita, sint personæ publicæ, ad superiores tamen si considerentur, *privati sunt*, quorum omnis facultas gubernandi ita summæ potestati subjicitur, ut quicquid faciunt *contra ejus voluntatem*, id ea *facultate defectum sit*, adeoque habeatur pro actu privato. Quicquid etiam imperii censentur habere, id omne debent Principi, qui si detrahat manum & *repetat potestatem*, nudi stabunt, nihil pristinæ dignitatis retinentes. Grot. *§. 6. n. 1. ibique* Hennig. Horn. *L. 2. c. 12. §. 10. n. 4.*

VI.

Qu. V. *Siccine ad patientiam obligantur subditi, ubi male eos Princeps tractat?*

℞. Aff. sive bonis singulos spoliet, sive ad ministeria sua eos disponat aut malè mul-

mulctet. *Hoc enim erit jus Regis, qui regnabit super vos: eripiet vobis filios & agros vestros ac dabit servis suis &c.* inquit Samuel *1. Sam. VIII, 9. seqq.* ad Populum Israelis, qui Regem exemplo vicinarum gentium postulabat, cujus potestatem & imperii amplitudinem explicabat. Petrus Cunæus *de Republ. Hebræor. L. 1. c. 14.* Wilhelm Schikard *de jure Regio Hebræor.*

Qu. VI. *An ibi verum Jus Regium describitur?*

℞. Aff. quia istud *sine vitio tyrannidis* exerceri potest. Assumere enim sibi juvenes in satellitium, vineas in alimentationem, decimare greges & similia, actus tales sunt, qui posita necessitate à quolibet rege justè suscipiuntur, ut pote sine quibus Majestas regia stare non potest. His non adversatur *Deut. XVII, 14. seqq.* quia Moses ibi non populum sed regem instruit, & de *jure regis non abutendo* consilium suppeditat, Samuel potestatis regiæ *& imperii amplitudinem* explicat. Ille *modum imperandi* tempe-

rat,

rat, hic *parendi necessitatem* & quæ subditis toleranda sunt, proponit Ziegl. *de J. M. L. 1. c. 4.* Huber. *de J. Civ. L. 1. S. 2. c. 7. n. 11. seqq.* Becm. *Med. Pol. c. 21. §. 5.*

Qu. VII. *An patientia hæc nos obligat in gravissimo & certissimo periculo?*

℞. Negativè quidem subdito resistere licet, objiciendo clypeum, aut fugâ sibi consulendo. *Positive* nunquam is vim inferre potest Principi, quia persona ejus *sancta* est ob majestatem, quæ eandem inhabitat, eamque semper comitatur, & quia persona est multis utilis, in cujus salute salus totius Reip. versatur. *Quis immissa manu in unctum Dei insons esse potest*, inquit David *1. Sam. XXVI. 9.* Grot. *§. 7. n. 1. 6. & l. 2. c. 1. §. 9. n. 1.* Puf. *VIII, 8. 5.* Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 3. art. 3. §. 10.* Hert. *Tom. I. de Collis. Legum. Sect. 1. §. 21.* Dissent. Voet. *de Duell. c. 20.*

Qu. VIII. *An Principem subditum invadentem occidere non licet, si invasus alias salvus esse non possit?*

℞. Non licet ex rationibus jam prolatis, non

non enim ſine maxima *Reip. perturbatione* & exitio plurimorum *innocentium* occideretur Princeps. Hinc æquo animo ferendum, quicquid mali à Principe ſubdito infertur. Interim tamen à *peccato* patientia noſtra Principem non eximit. Et ſi Princeps ex inſtituta defenſione læſus fuerit, hoc in crimen Majeſtatis verti non poteſt. Becm. *Doctr. moral. c. 9. §. 11.* Lederer *de J. belli priv. L. 2. c. 3. §. 7.* Velthem *Introd. ad Gr. L. 2. c. 1. qu. 9.*

Qu. IX. *Quid ſi vero nimia formidine aut iracundia aliisve affectibus transverſi agantur rectores, quo minus rectam ineant viam, quæ ad tranquillitatem ducit?*

℞. Nec illis reſiſtere licet, ſed id inter minus frequentia habendum, quæ interventu meliorum penſantur. Satius autem eſt Leges id reſpicere, quod plerumque accidit, utque in ſumma & majori parti proſint, quam ſine norma vivere, eamve cujuscunque permitti arbitrio. Grot. *I. 4. 4. n. 3.* vid. Budd. *El. Ph. Pr. P. 3. c. 4. S. 13. §. 8.*

Qu. X. *Credendumne subditos mori præoptare, quam ullo casu vim superiorum armis arcere velle?*

℞. Si resisti nequeat, nisi cum *maxima Reip. perturbatione*, aut exitio plurimorum innocentum, id credendum est. Alias probabile est, illos, qui primi in societatem civilem coeunt, si interrogarentur, an ita mori præoptarent, responsuros esse, se *nunquam hoc velle*, quia id majus esset incommodum, quam quod constituta civitate effugere conabantur. Antea enim multorum odiis erant obnoxii, cum facultate tamen repugnandi; hoc modo vero sese adstrinxissent ad *quasvis injurias* citra repugnantiam patiendas ab illo, quem ipsi suis viribus armaverant Grot. §. 7. *n.* 2. Puf. *VII. 8. 7.*

Qu. XI. *Quo igitur casu jus belli subditis datur adversus Reges suos aut Principes?*

℞. Tunc datur, si *nomen tantum Regis* habent; re ipsa vero populo subsunt, sive vigore primæ electionis, sive ita postea conventum, ut illi, si peccaverint

in

in leges aut Rempubl. non tantum vi repelli possint, sed & si opus sit, puniri morte Grot. §. 8. *ibique* Tesm.

Qu. XII. *An idem dicendum de Principe non regente, sed tantum ex familia Regis?*

℞. Aff. quia talis subditus Principis regentis est, nam & familiæ suæ Rex cum summa potestate præest. Dn. Coccej. *de Justitia belli & pac. in Statu regn. Portug. Art. 1. qu. 3.* Franckenb. im Europ. Herold Vorbericht *p. 5.*

Qu. XIII. *An jus belli datur in eum qui regnum abdicavit, aut pro derelicto habet?*

℞. Aff. quia post id tempus habetur pro privato, & omnia in eum licent, quæ in privatum. Quamvis illum adhuc comitatur, ob pristinum imperii axioma, *reverentia*. Pro tali tamen nondum habendus, qui imperium negligentius tractat. Grot. §. 9. *ibique* Obrecht. Puf. *VII. 8. 8.*

Qu. XIV. *An in eum qui regnum alienat aut alteri subjacet?*

 ℞. Alie-

℞. Alienando talis nihil agit ob defectum facultatis. Si tamen regnum quoque *tradere* velit, non est dubitandum, quin ei per vim à civibus resisti possit: cum obstare possit populus, ne imperium habendi modus mutetur. Grot. §. *10. ibiq.* Hennig.

Qu. XV. *An qui verè hostili animo fertur in exitium totius populi?*

℞. Aff. quia consistere non potest voluntas imperandi cum voluntate perdendi. Quare qui se *hostem totius populi* profitetur, is eo ipso regnum abdicat Grot. §. *11.*

Qu. XVI. *An in eum jus belli datur, qui regnum committit ex felonia?*

℞. Aff. quia tunc recidit in privatam personam. Grot. §. *12. supra c. 3. qu. 44.*

Qu. XVII. *An regi partem tantum imperii habenti resisti potest, pro ea parte, quæ ipsius non est, & illam involvit?*

℞. Aut populus *quoad exercitium* saltem partem imperii habet, aut eam habet *independenter*. Priori casu resistere non potest,

poteſt, ob vinculum ſubjectionis; poſteriori caſu poteſt, quia ſic regis imperio non ſubjacet, ſed ei, ut ſibi æquali, pro partis ſuæ defenſione, arma opponit. van der Muelen & Hennig *ad* §. 13. *h. c.* Aliter Grot. §. 13.

Qu. XIIX. *Dictum fuit de eo qui jus imperandi habet aut habuit, quid licet in Invaſorem?*

℞. Invaſor, qui nullo juſto titulo ſed ſola vi nititur, aut adhuc *in actu* invaſionis occupatur, aut *jam acquiſivit* imperium, idque vel interveniente renunciatione expulſi regis, eaque expreſſa vel tacita, vel immemoriali præſcriptione. *Priori caſu* in eum jus belli manet, ac proinde in eum id, quod in hoſtem, licet, qui à quolibet etiam privato interfici poteſt. *Poſteriori caſu* nullum in ejus perſonam jus ſupereſt populo, ſed ex eo tempore omnia jura legitimi Regis obtinuit, & cives ad obſequium imperio acquiſito correſpondens obligati ſunt. Grot. §. 15. *ſeq.* Lederer *de jure Bell. priv. L. 2. c. 3. §. 3.* Hennig. *ad Grot. p. 207.*

Qu. XIX. *Si actu Invasor Imperium teneat, quid exindè habet?*

℞. Quia in possessione est, habet imperii exercitium. Hinc Regnum in Secularibus & Ecclesiasticis administrare potest, vicini eum regiis titulis compellare, ejusque Legatos admittere possunt, subditi quoque in omnibus ei obsequi debent. Quos actus legitimus *Rex tolerat* in gratiam suorum subditorum, quos conservari mavult, quam ut viribus destituti nullo cum fructu pereant. Caeterum quando extinctus Invasor & *ejus imperium finitum*, actus ejus intermedii temporis exspirant nec amplius vim obligandi habent, quia Jus Imperii, à quo omnia illa acta dependent, non habuit invasor, sed tantum exercitium, Puf. *VII. 8. 10.* Hert. *Tom. I. de mod. constit. Civit. Sect. 2. §. 5. n. 4.* Dn. Coccej. *Diss. de Regimine Usurpatoris Rege ejecto §. 48. seqq.*

Qu. XX. *An ex lege antecedente aut expresso jussu ejus qui jus imperandi habet invasorem occidere licet?*

℞. Li-

℞. Licet quamdiu in actu occupandi & invadendi est constitutus, non *postquam occupavit*, quia tunc ob fidem datam vis antecedentis Legis aut jussus imperantis evanuit. Bœcl. *ad* §. *18. h. c.* Dissent. Grot. §. *17.* & *18.* & *ibi* Hennig.

Qu. XXI. *An talis invasor Tyrannus dici potest?*

℞. Aff. & quidem *Tyrannus titulo* qui describitur, quod sit qui alienam Majestatem invasit, cujus nullam justam causam habuit. Dicitur etiam *Usurpator.* Ab eo differt *Tyrannus in exercitio*, quando, qui legitimo modo adeptus est imperium, illo tamen abutitur in privatam utilitatem & totius populi exitium, qualis fuisse fertur Nero, Caligula & alii, quorum nomina recenset. Becm. *Differt. de non abut. nom. Princ. c.1.* §. *fin.* Huber. *L. 1. S. 9. c. 1.* & *2.*

Qu. XXII. *Unde dignosci potest Tyrannus in exercitio?*

℞. Difficiles sunt hujus notæ, non enim unus actus tyrannicus statim Tyrannum facit, neque *vitia privata* sufficiunt ad

constituendam tyrannidem, neque talis est, si Princeps pacta non servat, aut contra mores patrios faciat, Puf. *VII. 8. 6.* Becm. *d. l. c. 2.* ex his enim saltem malus Princeps cognoscitur. Nos notam Tyranni in eo collocabimus: *si terminos summæ potestatis sibi jure delatæ notoriè & præfractè egreditur.* Huber. *d. S. 9. c. 2. n. 11. seqq.* Bodin. *de Republ. L. 2. c. 4.*

Qu. XXIII. *Sed quis judicabit an terminos summæ potestatis egressus sit?*

℞. Non *populus*, qui fortè rerum præsentium pertæsus, facile ad iniquam de Lege sententiam dilabi potest. Nec *Rex* extraneus, quia is ob exemplum, ne simile quid in se statuatur à suis subditis, non facilè aures præbebit accusantibus subditis. *Notorium* ergo esse debet quod rex terminos summæ potestatis egressus sit. Grot. §. 11. ibique Ziegl. & Tesm. *lit. a. & b.* Coccej. *de Imperio in pares.* §. 4. & 5.

Qu. XXIV. *Si manifestò constet de tali Tyranno, quid in eum licet?*

℞. Si preces & rationes oppositæ nihil im-

impetrant, ac Reip. aliter consuli non possit, eum *deponi* posse statuendum videtur, quia simul stare non possunt regere & perdere populum, esse tutorem & carnificem civium. Budd, *Sel. J.N. & G. Exerc. ult.* §. 40. Huber. *d. S. 9. c. 4.* §. 51, *seqq.* Joh. Voet, *de Jure militari c. 1. n. 24.*

Qu. XXV. *Si dubium, ad quem Jus imperandi pertineat?*

℞. In re controversa judicium sibi privatus sumere non debet, sed possessionem sequi tenetur. Ex solutione autem nummi, qui alicujus imaginem præfert, non agnoscimus eum esse in possessione Imperii, eique tributum esse solvendum. Nisi nummus sit determinatè cusus, ut tantum pro præstita defensione solvatur. Osiand. *ad Grot. h. c.* §. 20. Aliter Grot. §. 20.

CAPUT V.
Qui Bellum licite gerant.

Qu. I. *Quæ est causa principalis effectrix in bello?*

PLerumque est is cujus res agitur; in privato privatus, in publico pote-

ſtas publica, maximè ſumma. Grot. *I. V. 1.*

Qu. II. *An & pro aliis bellum movere licet?*

℞. Aff. nam alteri prodeſſe, qua poſſumus, non modo licitum, ſed & honeſtum eſt. Grot. §. 2. *vid. infr. L. 2. c. 25.* Indè & datur cauſa adjuvans ſeu auxiliatrix in bello.

Qu. III. *Quæ ſunt hominum inter ſe vincula, quæ ad mutuam opem invitant?*

℞. Diverſa: nam & cognati ad opem ferendam coeunt, & vicini inclamantur, & qui civitatis ejusdem ſunt participes. Grot. §. 2.

Qu. IV. *Quid ſi hæc vincula deficiant?*

℞. Tunc ſufficit humanæ naturæ communio. Cum enim ab homine nihil humani alienum ſit, & quod hodie alteri accidit, cras mihi evenire poſſit, ab auxilio aliis præſtando ſe nemo ſubtrahere poteſt. Grot. §. 2. *n.* 2.

Qu. V. *Quæ ſunt Inſtrumenta in bello?*

℞. Quæ

℞. Quæ ita agunt sua voluntate, ut ea voluntas ab altera pendeat, quale instrumentum est patri filius, domino servus, imperanti subditus, sunt enim eorum partes, hi quidem ex lege, illi naturaliter. Grot. §. 3.

Qu. VI. *An omnes subditi naturaliter bello adhiberi possunt?*

℞. Aff. si apti sint ad arma ferenda & quosdam Lex specialis non arceat, quæ tamen in casu necessitatis exceptionem habet. Grot. §. 5. *ibique* Tesm. Voet. *de Jure milit. cap. 2. n. 17. seqq.*

Qu. VII. *An clerici bello adhiberi possunt?*

℞. Ubi magna multitudo Clericorum mœnibus & monasteriis inclusa, urgente necessitate etiam ad pugnandum cogi possunt. Alias ob functiones sacras peragendas bello tantum intersunt. Boecl. *ad Grot. h. c.* §. 4. Voet. *d. l. n. 18.* Conf. Ziegl. *de Episcopo milite.*

Qu. IIX. *An Judæi legi possunt milites?*

℞. Aff. quia subditi sunt christiani Prin-

Principis. Quanquam Lege civili prohibeantur *L. 12. & 18. C. de Haret.* ob *L. 20. C. de Episc. Audient.* Ziegl. *de Jur. Judaeor. c. 3. §. 9.*

Qu. IX. *An Lictores & Carnifices?*

R. Aff. sed quia status militum status honoris est & dignitatis, ad eum infames & levi macula laborantes lege civili non admittuntur *L. 2. C. de Dignitat.* Voet. *d. l. n. 21.* Ærod. *Rerum judicat. lib. 10. cap. 2. tit. 4.*

LIBER II.

CAPUT I.

De Belli Causis, ac primum defensione sui & rerum.

Qu. I. *Quotuplex est causa ob quam bellum geritur?*

Duplex *Justifica* quæ movet sub ratione justi, & conscientiam belligerantis tranquillat, felicemque spondet exitum, & *Svasoria* quæ sub ratione utilis

lis movet. *Illa* licet non adsit, tamen à belligerante prætexi solet, ad acquirendum Gentium favorem. *Hæc* in pectore bellantium latet, & saltem in secretiori Principis consilio tractatur, estque gloriæ, divitiarumque cupido, metus vicinæ potentiæ & alia similis. Grot. *II. 1. 1.* Puf. *VIII. 6. 5.*

Qu. II. *De qua causa hic agitur?*

℞. De Justifica, non prætexta, sed quæ in ipso jure naturæ fundata est. Grot. *c. l. n. 2. ibique* van der Muelen.

Qu. III. *Quæ est causa justifica belli?*

℞. Nulla est alia quam *injuria* eaque vel *nondum facta* imminens tamen & futura, nisi præcaveatur, hinc bellum *defensivum*; vel *facta*, unde bellum *offensivum*, quod tendit vel ad *reparandum* id quod nostrum est, aut nobis debetur, vel *vindicandum* aliquod in nos delictum commissum, unde bellum *poenale* Grot. *§. 1. n. 4. & §. 2. n. 1.* quod tamen ab aliis rectius rejicitur, de quo infra *lib. 2. c. 20.*

Qu. IV. *An in omni bello requiritur justifica causa?*

℞. Aff.

℟. Aff. Tam in bello publico quam privato. Et licet bellum publicum multos producat Juris effectus, sola tamen autoritas non facit justum bellum, sed requiritur præcisè ut subsit justa causa, sine quâ qui gerunt illud, dicuntur alios fraude latronum ac scelere regnis spoliare. Grot. §. *1. n. 3. ibique* Tesm. *lit. S.*

Qu. V. *Quæ igitur est prima justi belli causa?*

℟. Injuria nondum facta, quæ petit aut corpus aut rem. Grot. §. *2. n. 3. in fin.*

Qu. VI. *Quando injuria intentatur, an semper ad extrema provolandum?*

℟. Neg. sed prius tutiora remedia tentanda ut (1) quis aditum invasori intercludat, (2) intra munita loca se contineat, (3) invasorem moneat à furore desistere & (4) in levi injuria se patientem exhibeat. His observatis, si salus mea in tuto locari non possit, pro eadem expedienda extrema tentare licebit. Puf. *II. 5. 3.*

Qu. VII. *An ubique iidem sunt limites inculpatæ defensionis?*

℟. Neg. Sed videndum utrum quis in *libertate naturali* nulli mortalium subjectus degat, an vero *imperio civili* obnoxius sit. *Ibi* major licentia datur in defensione adornanda, quia ob defectum judicis, qui posset in subsidium venire, illimitata agitur invasio, cui ejusdem generis defensio opponi debet. *Hic*, hostilitas per magistratum reprimi & tolli potest. Ergo defensio sui eo demum momento licita evadit, quo invaso auxilium à magistratu ferri non potest. Puf. *d.* *§. 3. & 4.*

Qu. VIII. *Si ergo corpus impetatur vi præsente, cum periculo vitæ non aliter evitabili, an defensio nostri cum cæde alterius est licita?*

℟. Non tantum licita est, sed & præcepta, adeo, ut si quis, cum se defendere posset, maluerit occidi, in Deum peccet, qui cuivis homini vitæ suæ curam demandavit, quam abjicere & eam arbitrio protervi hominis profundendam exponere

nere nequit. Grot. §. *ibique* Osiand. *lib. 3. in f.* Lederer *de J. B. priv. lib. 2. c. 1. §. 5.* Aliter Ziegl. *ad Grot. lib. 1. c. 3. §. 3.* Puf. *ll. 5. 2.*

Qu. IX. *Quid verò si ille, qui me invadit, peccato careat, ut si insaniâ agitetur, vel si me hostem suum esse credat?*

℞. Tamen, si alia ratione vitam meam salvare nequeam, licitè illum occidere possum, quia jus defendendi me vitamque meam non ex injustitia invasoris, sed ex memet ipso æstimatur, qui mihi à natura sum commendatus, ac sufficit, quod ego non teneam pati, quod ille intentat. Grot. §. 3. *ibique* Becm. Puf. *d. l. §. 5.*

Qu. X. *Quid si defensionem aut fugam nostram impediant infantes claudi aut alii innocentes interpositi?*

℞. Occidi & prosterni possunt, si mors nobis intentata aliter evadi non possit. Ad jus enim agendi multa obtineri possunt indirectè & extra agentis propositum, ad quæ per se jus non esset. Grot. §. 4. & *L. 3.*

L.3.c.1.§.4. conf. *Disp.de Licit. Innoc.cæd.* Dissent. Kulpis. *h. t.§.3.*

Qu. XI. *An in defensione sui homo occiditur ex intentione?*

℞. Neg. quia mors illa hic non eligitur ut quoddam primario intentum, sicut in punitione judiciali, sed ut unicum, quod eo tempore suppetit. Grot. *h. c.§.4.n.2.*

Qu. XII. *Impetitus tamen hoc volens facit?*

℞. Volens quidem facit, sed tamen etiam eo tempore, quo hoc facit, debet malle tale aliquid facere, quo alter absterreatur, aut debilitetur, quam quo intereat. Grot. *d. n.2.*

Qu. XIII. *Quale periculum hic requiritur?*

℞. Præsens & quasi in puncto. Grot. *§.5.n.1.*

Qu. XIV. *An facinus occupari potest, si insidiator arma arripiat?*

℞. Non potest ob metũ qualemcunq;, sed si appareat eum id facere occidendi animo. Nam in moralibꝰ non invenitur pun-

ctum sine aliqua latitudine Grot. *d. n. 1.* Ziegl. *ad* §. *10.* Voet. *de duell. c. 19.* vid. Thomas. *Jpr. Div. L. 2. c. 2.* §. *103. seqq.*

Qu. XV. *Quid si periculum sit ejusmodi, quod quidem in hoc puncto non imminet, attamen ita præsens est, ut dubitem me illud aliter evadere posse?*

℞. Non possum occidere, quia pœnitentia flecti potest insidiator, & interposita mora remedium afferre, dum vel fugiam vel implorem magistratum aut vicinos. Hinc interfici nequit, qui conjurasse aut insidiari compertus est, qui venenum struit, falsum testimonium vel iniquum judicium molitur. Gr. §. *5. n. 2. ibique* Ziegl. & Tesm. Puf. *II. 5. 7.*

Qu. XVI. *Quid dicendum de periculo mutilationis membri?*

℞. Si membrum sit è præcipuis & vitæ quasi æquiparabile, ac periculum mortis abscissio ejus post se trahat, illud intentans, si aliter vitari nequeat, occidi potest, quia talis mutilatio non minoris æstimatur

tur, quam mors. Grot. §. *6.* Kulpif. *h.t.* §.4.Voet. *de duell. c. 21.*

Qu. XVII. *Quousque durat spatium inculpatæ tutelæ?*

℞. Tam diu & eousque quoad aggressor fuerit depulsus, aut ultro decesserit, vel pœnitentiâ in ipso facinoris momento tactus, vel quod conatum ejus eventus destituerit, ita ut in præsens amplius nocere nequeat, nobisque sit facultas in tuta loca nos recipiendi Puf. *II. 5. 8.*

Qu. XVIII. *An pro pudicitia servanda violentum stupratorem occidere licet?*

℞. Vitæ quidem & famæ periculum hic nullum planè imminet, attamen excusandum est facinus ob appetitum conservandi pudoris, qui maximè naturalis est, & inter appetitus honestissimos refertur, cum nulla major contumelia honestæ fœminæ inferri possit, quam si quis invitæ eripere aggrediatur id, cujus integritate ejus sexus decus maximè æstimatur, & efficiat, ut hosti ex suo sanguine prolem suscitare cogatur. Ziegl. *ad Grot.*

§.7. Puf. *II. 5. 11.* Thomaf. *II. 2. 114.* Voet. *d. l. c. 24.* Diſſent. Grot. §.7.

Qu. XIX. *An non interdum præceptum eſt occidi potius quam occidere?*

℞. Aff. ſi invaſor ſit Rex aut Princeps ſummum imperium habens. Jus enim naturæ non modo ea exigit, quæ dictat Juſtitia ſtrictè dicta, ſed & vim ſuam extendit ad aliarum virtutum ut temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ &c. actus. Si quæ ergo eſt occaſio exercendæ prudentiæ, fortitudinis, ſimiliumque virtutum, ea arripienda eſt, etiam tacente juſtitia expletrice. Grot. §.9. vid. ſupr. *l. 1. c. 4. qu. 7. & 8.*

Qu. XX. *Annon vero rex innocentem invadens rex ipſo facto eſſe deſinit?*

℞. Neg. nam imperia non amittuntur delinquendo niſi Lex id ſtatuat; at talis nullibi reperitur, ſummam enim rerum confuſionem induceret. Grot. §.9. *n.* 2. Diſſent. van der Muelen. *d.* §.9.

Qu.

Qu. XXI. *Attamen ſinguli ſalvam volunt Remp. propter ſe ipſos, E. ſalutem ſuam quisque anteponere poteſt Saluti Reip. & Regis?*

℞. Non noſtri ſaltem cauſa ſalvam velle debemus Remp. ſed & aliorum. Charitas vero ſæpe monet, imo interdum imperat, ut meo unius bono multorum bonum præferam. Grot. §. *9. n. 2. & 3. ibique* Ziegl.

Qu. XXII. *Annon qui ita patitur occidi ut Propricida conſiderandus?*

℞. Neg. quia propricida appetit propricidium, qui vero à Principe ita occiditur, ſerio id abhorret, & tantum non reſiſtit. Thomaſ. *Jpr. Div. L. 2. c. 2. §. 92.*

Qu. XXIII. *Quid ſi invaſor non quidem Princeps, perſona tamen ſit ſocietati utilior, quam invaſus?*

℞. Eandem ejus quæ in Principe habendam eſſe rationem vult Teſm. *ad Grot. L. 2. c. 1. §. 9. lit. a.* Verum cum ex diverſitate functionum in Republ. *difficile*

 ſit

ſit dijudicare, uter ſit utilior, cumque id trutinari *magnitudo imminentis terroris* non permittat, jus hoc, quod Principem invaſorem protegit, invaſori tali negamus; præprimis quia in eo non eſt præſentia majeſtatis, propter quam tanquam inviolabilem notam ſecurus eſt Princeps. Puf. *II. 5. 14. in fine.* Thomaſ. *d. l. n. 84.* vid. *Diſſ. de Exuper. Amor. erg. Proxim. Sect. poſt* §. *15.*

Qu. XXIV. *An vitandæ alapæ aut ſimilis mali cauſa intentantem juſtè poſſum occidere?*

℞. Neg. licet quidem graviſſima ſit injuria alapis cædi, cum *ſervorum* aut vili adhuc diſciplinæ ſubjectorum iſta fuerint bellaria, attamen non ita eſt *irreparabilis*, ut vita adempta, ſed penſari poteſt illa per Magiſtratum gravi mulctâ lædenti impoſitâ eodemque adacto, ut læſo publicè honoris ſigna exhibeat. Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 3. art. 2.* §. *31.* Puf. *II. 5. 12.* vid. Hennig. *ad Gr. b. c.* §. *10.* Diſſent. Grot. §. *10. n. 1.*

Qu.

Qu. XXV. *An autem ad honorem recuperandum licet occidere fugientem, qui alapam impegit?*

℟. Neg. quia minimè per ſanguinem & mortem lædentis honos reſtitui poteſt in integrum, ſed hoc caſu â Magiſtratu implorato aſperrima pœna imponenda, qui ſi tales injurias inſuper habuerit, iraſci non poteſt illis, qui ex more & opinione vulgi exiſtimationem ſuam aſſerunt. Puf. *d. l.*

Qu. XXVI. *Anne rectius facit, qui fert talem injuriam, quia ſe ita excellenter patientem oſtendit, & ſic magis honorem ſuum auget quam minuit?*

℟. Ita quidem philoſophatur Grot. *L. 2. c. 1. §. 10. n. 2.* ſed quod de aureis illis temporibus, ubi major erat candor & ſimplicitas inter homines intelligendum. Noſtri ſeculi non eſſe videtur, ubi *opiniones nonnullæ* tam atrociter regnant, ut inſigni quadam contumelia affectus inter cives degere nòn poſſit, niſi objecta diluat. Neque poteſt ex-

cellenter patiens propterea censeri, qui *à quolibet quævis* patitur: patientia enim nostra rationabilis esse debet, non insensibilitas. Tesm. *ad Gr. d. l. lit. f. b. & i.* Zentgrav. *d. Tr. Sect. 3. art. 3. §. 5. & 6.*

Qu. XXVII. *An in periculo vitæ constitutus ad fugam obligatur?*

℞. Aff. quando in proximo est salus, non quando per fugam manet, vel etiam geminatur periculum. Puf. *II. 5. 9. & 13.* Voet. *de duell. c. 22.*

Qu. XXVIII. *Verum fuga ignominiosa est, præsertim militi aut homini nobili?*

℞. Fuga in periculo nemini est ignominiosa, quando deficit fortitudinis exercendæ materia. Sed fugere ex ignavia, contra ordinem officii, & citra manifestum periculum, pro piaculo semper fuit habitum. Grot. *§. 10. n. 3. ibique* Tesm. *lit. m.* Franzk. *Ex. Inst. 12. qu. 6.* Puf. *d. l.* Rachel. *de Duell. §. 58. seqq.*

Qu. XXIX. *An occidi potest is, qui talia de nobis dicit, quæ credita nostram existimationem apud bonos delibarent?*

℞. Neg.

℞. Neg. quia ad tuendam existimationem non est aptus modus istiusmodi interfectio, sed *studium virtutis.* Et adsunt Leges ac magistratus, quibus honorem meum tuendum committere debeo. Grot. *d. n. 3. ibique* Tesm.

Qu. XXX. *An provocatus in duellum favore defensionis dignus, si ita premitur, ut, ni provocantem transfodiat, ipsi sit pereundum?*

℞. Neg. quia dum Leges periculum duelli subire vetant, ejus quoque ad excusandam cædem nulla habetur ratio, & iste tam homicidii quam alia pœna in duellantes constituta merito affici potest. Pufend. *II. 5. 9. in f.* Rachel. *c. l.* §. *46. seqq.*

Qu. XXXI. *An non qui prior alterum læsit, etiam se aliquando rectè defendere potest?*

℞. Tunc demum se rectè defendere eaque defensione alterum denuo lædere potest, quando I. pœnitentiâ tactus (1) reparationem damni dati (2) cautionem de non lædendo inposterum obtulit. II. Læsus (1) oblatam satisfactionem ex

asperitate animi respuit (2) manu sibi vindictam facere pertendit. Puf. *II. 5. 19. & de O. H. & C. L. 1. c. 5. §. 17. ibique* Titius.

Qu. XXXII. *An defendere res & bona sua licitum est cum cæde furis?*

R. Non aliter, quam si præter periculum rerum etiam concurrat vitæ periculum. Tabor. *in Armament. Just. Comm. de Admenat. c. 5. §. 17. in f.* Unde in *Statu naturali* fur occidi potest, si res talis sit ex qua vita nostra & nostræ familiæ pendet, & non contemni mereatur. Non in *Statu Civitatis* ubi erepta subsidio Magistratus recuperari possunt. Nisi hoc subsidium cesset, aut sine probabili vitæ nostræ periculo aliter haut facere possimus, ut in fure nocturno Puf. *II. 5. 16. 17. 18.* Lederer *de jure belli privat. L. 2. c. 7. §. 7. & 12.* Aliter Grot. *§. 11. seqq.*

Qu. XXXIII. *Quid si testes adfuerint, ex quibus constat, interfectorem non fuisse adductum in vitæ periculum?*

R. Cessabit ista præsumtio necessariæ de-

defensionis, & is qui occidit homicidii tenebitur, quanquam non ordinariâ gladii, sed tantum extraordinariâ fustigationis vel relegationis pœna. Grot. §. *12. n.3.* Carpz. *Pr. Cr. qu. 32. n. 39.*

Qu. XXXIV. *Quando igitur sine peccato à privatis singularis dimicatio suscipi potest?*

℞. Quando invasor alteri dimicandi licentiam concedit ex interveniente tantô spatio temporis, ut contraria arma expedire possit, alioquin eum occisurus sine dimicatione Grot. §. *15. ibique* Gronov.

Qu. XXXV. *An item ea permissa si Magistratus duos mortem meritos inter se committat?*

℞. Aff. quoad *Dimicantes*, qui hoc modo non in mortem alterius sed in vitam suam operantur Dissent. Osiand. *b. c. th. 15.* cui resp. Tesm. *lit. c.* Non quoad *Magistratum* quia non potest ex duobus, qui mortem meruere, unum eximere pœnæ, Dissent. Tesm. *lit. f.* sed si fortè unius supplicium sufficit, sorte eligere de-

debet moriturum. Grot. §. 15. Voet. *de duell. c. 9.* Dissent. Ziegl. *d.* §. 15.

Qu. XXXVI. *An quæ hactenus dicta sunt de jure se & sua tuendi, tantum ad bellum privatum pertinent, an vero etiam ad publicum bellum aptari possunt?*

℞. Possunt aptari, habitâ aliquâ ratione diversitatis, nam in privato bello *jus momentaneum* est, evanescens ubi est judicii copia; publicum *tractum* habet, & perpetuo fovetur novis injuriis accedentibus, quia non oritur, nisi ubi judicia aut non sunt, aut cessant. In privato defensio mera consideratur, in publico Principes etiam in ultionem arma sumunt. Grot. §. 16. *ibique* van der Muelen. *p.* 48.

Qu. XXXVII. *An rectè arma sumuntur ad imminuendam potentiam crescentem, quæ nimium aucta nocere potest?*

℞. Neg. vim enim pati posse jus non tribuit ad eam inferendam; ita enim vita humana est, ut *nunquam plena securi-*

tas

tas nobis conſtet. Ad bellum occupandum neceſſe eſt, ut evidenter conſtet de animo nobis arma inferendi. Grot. §. *17.* & *L. 2. c. 22.* §. *5. n. 1.*

Qu XXXVIII. *Unde vero præſidium petendum contra incertos metus?*

℞. A divina providentia *1. Maccab. XII, 15.* & ab innoxia cautione, pangendo cum aliis fœdere, conſcribendo exercitum, legatos mittendo, ut explorent & avertant periculoſa conſilia, & ita agendo ne incauti obruamur. Grot. *d.* §. *17. ibique* Teſm. *lit. d.*

Qu. XXXIX. *An juſte defenduntur bellum promeriti?*

℞. Neg. ſed qui peccavit, primum debet offerre ſatisfactionem ei quem læſit viri boni arbitratu; qua rejecta pia demum erunt arma. Grot. §. *18.* Puf. *II. S. 19.*

Qu. XL. *An quando jam ad conflictum ventum, oblatam ſatisfactionem acceptare & bello deſiſtere debet læſus?*

℞. Aff. quia juſtitia parcere jubet nondum

dum victo & poenitenti, & impium est hostem non audire, ubi is nocere adhuc potest. Ziegl. *ad Proleg.* §. *25.* & *b.t.f. 17.* Struv. *de victoria* & *clade* §.*97. seqq.* Dissent. Tesm. *ad* §. *25. lit.9.*

CAPUT II.

De His, quae hominibus communiter competunt.

Qu. I. *Quae est altera belli causa?*

EST injuria facta adversus id, quod nostrum est. Grot. *II. 2. 1.* vid. *cap. praec. qu. 5.*

Qu. II. *Quot modis aliquid nostrum est?*

℞. Nostrum est aliud communi hominum jure, aliud nostro singulari. Jus hominibus commune aut directè est in rem corporalem, aut ad actus aliquos. Res autem corporales aut vacuae sunt à proprietate, aut jam aliquorum sunt propriae. Res à proprietate vacuae aut tales

sunt

sunt, ut in totum seu integræ propriæ fieri nequeant, aut ut possint. Grot. *d. l.*

Qu. III. *Quid proprietas, quid communio?*

℞. *Proprietas* est qualitas moralis rei ita ad aliquem pertinentis, ut eodem modo ad alium non pertineat. *Communio* est quando res pertinet ad aliquem, quæ tamen eodem modo etiam me vel alium ad eam hadendam admittit.

Qu. IV. *An tantum unius generis est communio?*

℞. Neg. sed alia est *Negativa*, cum res ita pertinet ad plures, ut in nullius hominis proprietate sit. Alia *Positiva* cum ita res ad plures pertinet, ut in plurium conjunctim sumtorum proprietate seu dominio sit. Dn. Thomas. *Jpr. Div. L. 2. c. 10. n. 41. seqq.*

Qu. V. *An statim ab Orbe condito & post diluvium reparato fuit omnimoda rerum communio?*

℞. Communio *Negativa* fuit, non *Positiva*, quam hic Grotius §. *2. n. 2.* add. Huber, *L. 4. Digress. c. 12.* comminiscitur,

ob

ob magnam simplicitatem, & mutuam eximiam charitatem, quæ fuerunt in primævo hominum statu; nam communio talis involvit socium possessionis, quem Adam non habuit. Puf. *IV. 4. 5.*

Qu. VI. *At fuit tamen communio inter homines, qui eximia ista charitate inter se vixerunt?*

℞. Fuit quidem communio inter primitivos Christianos Hierosolymis habitantes *Act. II, 44. seq. IV, 34. seq.* inter quosdam Americæ populos, & nunc quoque non paucos, qui degunt vitam asceticam Grot. *d. §. 2. n. 2.* at non fuit rerum omnium communio, sed quarundam tantum, & quidem illarum, quæ suæ societati videbantur sufficere Tesm. *d. §. 2. lit. k.* Puf. *d. l. §. 9.*

Qu. VII. *Unde vero deducenda origo dominii s. proprietatis?*

℞. Ab *occupatione* volente Numine facta. Deus enim, qui in gratiam hominis omnia creaverat, ei dedit facultatem, res omnes occupandi, quæ in usum suum converti poterant. *Genes. I, 28. IX, 2. seq.*

Unde

Unde probabile, primum hominem sua fecisse, quæ ipsi *alimenta* præbere poterant, postea *crescente penuria* & multiplicatis hominibus alias quoque res ab indigentibus fuisse occupatas, quæ ita occupantium *propria* factæ fuere, ut possessoribus citra injuriam eripi nequiverint, quia sibi prælationem quandam in istis occupatione sua quæsiverant. Reliquæ res *nondum occupatæ* interim in medio relictæ & absque proprietate manserunt, donec successu temporis dominum suum invenirent, & alicujus, prout usus ejus postulare videbatur, propriæ redderentur. Puf. *IV. 4. 5. seqq.* Thomas. *II. 10. 58. seqq.* Aliter Ziegl. *h. c.* §. *2.* Kulpis. *Colleg. Grot. h. c. th. 1. lit. g.* Strauch. *de Imperio maris c. 1. th. 8. seq.*

Qu. VIII. *An homo etiam jus habet in innoxia animalia, destruendo & occidendo illa ad suos usus?*

℞. Aff. quoniam enim Deus eam conditionem corporis humani esse voluit, ut assumtis extrinsecis rebus ad *victum & amictum* homo corpus suum curaret, vo-

luntate ejus quoque fieri intelligitur, ut homo istas *creaturas destruat* & ad usus suos adhibeat. Et quia nulla inter homines & bestias intercedit *juris communio*, quæ harum occisionem impediret, etiam citra animalium injuriam hanc fieri constat. Abusus tamen, præsertim qui cum stulta *immanitate* conjunctus est, reprehensionem meretur. Puf. *IV. 3. 1. seqq.* Thomas. *Jpr. div. II. 10. 19. seqq.* vid. Tesm. *II. 20. 9. lit. o.* Schoockius *Exerc. 33.*

Qu. IX. *Quid est Dominium?*

℞. Dominium est Jus de rebus pro arbitrio proprio nomine disponendi & eas à quocunque alio possessore vindicandi.

Qu. X. *Quotuplex est dominium?*

℞. Est vel *Vulgare* vel *Eminens.*

Qu. XI. *Quid est dominium vulgare?*

℞. Quod quisque privatorum in bona sua & ipse Princeps in bona sua patrimonialia habet. Hoc iterum subdividitur in dominium *Plenum*, *Directum & Utile.*

Qu. XII. *Quid est Dominium Eminens?*

℞. Quod Civitati competit in bona civium

vium ad usus publicos ea arripiendi & applicandi Grot. *I. 1. 6. III. 20. 7.* Becman. *M. P. c. 21. §. 2.*

Qu. XIII. *An hoc semper Civitati aut qui huic praeest competit?*

℞. Aff. quia est Majestatis, quae ubique integra, indoles. Non tamen id semper exercere potest, nisi quando necessitas & utilitas publica id exigit. Horn. *de Civit. L. 2. c. 4. §. 19.*

Qu. XIV. *Annon aequitati repugnat sic eripere bona privatis?*

℞. Non repugnat, modo limites â necessitate constituantur, ut Princeps non utatur hac potestate, nisi quando & quamdiu ordinaria remedia deficiunt, & illi privato retributio ejus, quod ipsi eripitur â reliquis civibus, fiat. Dominium enim, quod Respubl. habet, producit hos effectus, quod possit singula civium bona in salutem civitatis impendere. Grot. *III. 19. 7. ibique* Tesm. Puffend. *VIII. S. 7. ibique* Dn. Hertius.

Qu. XV. *Quaenam res in totum seu integrae non possunt fieri alicujus propriae?*

℞. *Usus* quarundam rerum, qui suâ naturâ *inexhaustus* est, nullius proprius, sed omnibus hominibus communis dicitur, qualis in lumine, aere, mari, aqua profluente &c. reperitur. Grot. *h. c.* §.*3. n.1.* Zentgrav. *de Orig. Jur. Gent. art. 10.* §.*21.* Puf. *IV. S. 4. & 7.* Strauch. *de Imper. mar. cap.3.* §.*2.*

Qu. XVI. *An mare quoad substantiam occupari potest, & dominii capax est?*



℞. Mare quod in *littorum vicinia* est, quale est Adriaticum, Hafnicum, Liguſticum &c. sub dominio esse, nemo dubitat. Sed & mare à *littoribus remotissimum*, seu vastum Oceanum dominii capax esse, post tot disputata virorum doctorum ferè liquidum apparet, quia nulla ratio, cur à cæteris rebus homini à Creatore mancipio datis, mare externum exemtum esse debeat. Si igitur actu occupationis, quo alias res in nostram potestatem redigitur, utpote navigatione, quis eo animo sibi asseruerit mare, ut solus ejus, quod nactus est, velit esse arbiter & dominus, dominio

suo

ſuo id quoque ſubjectum erit, quod & *finibus ſuis*, quousque occupatum ſit, circumſcribere, non planè impoſſibile eſt. Strauch. *d. l. c.2.* Schurtzfleiſch. *Oper.Hiſt. Pol. Tr.Maris ſervitus 75.* §. *14.ſeqq.* Bœcl. *ad Grot. h. c. p. 48. ſeqq.* Gröning. *de Navig. liber. c.3.* Diſſent. Grot. *h. c.* §. *3.*

Qu. XVII. *An vero occupatum etiam retineri & poſſideri poteſt?*

℞. Aff. & quidem contra alios retinetur *claſſium ope*, & ingreſſus in mare ex littore prohibitione. Poſſidetur per *actus imperii proprios*, quales ſunt jubere, vetare, permittere, punire. Unde venit demisſio velorum, angariarum ac vectigalium exactio, tranſeuntium prohibitio, Piraticæ aliorumque delictorum punitio &c. Strauch. *d. l. c. 5. ſeqq.* Diſſent. Cornel. van Byнckershoek. *Diſſert. de Domin. mar. c. 2. ſeqq.* cui reſp. Thomaſ. *ad Huber. de Civit. Lib. 2. Sect. 4. c. 2. n. 43.*

Qu. XVIII. *Ergone demiſſio velorum Imperii maritimi argumentum eſt?*

℞. Eſt, ſed tamen etiam *in ſignum venerationis* adhiberi ſolet ex cauſis conſue-

tudine vel pactis Gentium determinatis. Selden *de mari clauso lib. 2. c. 26.* Franckenb. im Europ. Herold Vorbericht *p. 25.* Marquard *de jure mercat. lib. 2. c. 5. n. 41.*

Qu. XIX. *An Aer potest occupari?*

℟. Aer *simpliciter* consideratus occupari nequit, sed ob materiæ subtilitatem & amplitudinem in communione manet. Consideratus autem *relatè* ad terram, dum aeris usum nemo habere possit, nisi & terra simul utatur, quando ingreditur & calcat eam, quia hæc in dominium est redacta, etiam aer eatenus in proprietatem cedit. Tesm. *ad Grot. II. 2. 3. lit. g. & i.* Dn. Stryk. *de Jure Principis aereo.*

Qu. XX. *Quæ sunt res, quæ propriæ fieri possunt alicujus, sed nondum facta sunt?*

℟. Sunt loca inculta adhuc, insulæ in mari, feræ, pisces, aves, &c. Grot. *h. c.* §. 4.

Qu. XXI. *Cum dictum per occupationem res alicujus proprias fieri, quid est occupatio?*

℟. Est rei nullius animo sibi habendi facta apprehensio.

Qu.

Qu. XXII. *Quotuplex est occupatio?*

℞. Duplex, alia fit per *universitatem* nempe per populum aut eum qui populo imperat. Et per hanc occupationem omnia sibi acquirit, quæ in singulos dominos descripta non sunt, ut flumina, lacus, stagna, sylvæ, montes asperi; alia per *singulos*, quando à populo singulis vel *expressè* assignatur, quantum debeant occupare, vel *tacitè*, dum permittit, ut unusquisque occupet, quantum excolere potest. Grot. *II. 2. 4.* Puf. *IV. 6, 3.*

Qu. XXIII. *Si quid in regione reperiatur carens privato dominio, an pro vacuo haberi potest?*

℞. Non potest, sed ad totum populum pertinere intelligitur, à quo est acquisitum per occupationem, quæ fit per universitatem. Grot. *h. c.* §. *4.* Puf. *d. l.* §. *4.*

Qu. XXIV. *Potestne ergò Princeps lege lata subditis prohibere promiscuam venationem?*

℞. Aff. 1. quia promiscuè arma, sine quibus venatio institui nequit, permit-

tere, non semper tutum. 2. per exercitia hæc subditi avocantur ab exercitio artium & operarum suarum 3. cum Principi aliquid peculiare assignandum sit, vix quicquam ei commodius concedi potest, quam quod erat nullius privati, ad Remp. tamen pertinebat, quia intra limites ejus continebatur. Grot. §. 5. Puf. *d. l.* §. 5. & 6.

Qu. XXV. *An hac lege etiam tenentur exteri?*

℞. Aff. quia ad gubernationem populi moraliter necessarium est, ut qui ei vel ad tempus se admiscent, intrando territorium, illi conformes se reddant ejus populi institutis, tanquam subditi temporarii. Grot. *d.* §. 5.

Qu. XXVI. *An hominibus jure naturæ competit aliquod jus in res eas quæ jam sunt facta alicujus propriæ?*

℞. Aff. tempore ultimæ necessitatis, cujus favor & communis hominum cognatio quemlibet obligat, ut quicquid proprium possidet, iterum in commu-

nem

nem humani generis usum, ad quem à natura productum est, conferat. Nam non ideo rerum dominia invaluerunt, ut quis solis divitiis repertis incubet, sed & ut egentibus humanitatis officia exhibeat.

Qu. XXVII. *An me invito eas mihi auferre licet?*

℞. Aff. si (1) aliud vitæ conservandæ subsidium desit, (2) dominus re, quæ aufertur, sine incommodo evidenti carere possit. His concurrentibus requisitis, contrectatio talis non erit fraudulenta, nec furtum committetur. Grot. §. *7.* & *8.* Stryk. *de Foro Consc. c. 6. n. 13. seqq.* Dissent. Ziegl. *ad Grot. h. c.* §. *6.*

Qu. XXVIII. *An cessante necessitate facienda restitutio rei ablatæ?*

℞. Aff. si fieri possit, quia non ad donandum sed ad adjuvandum rei suæ usu erat obligatus, cui res auferebatur. Ergo adjutus debet reddere, quo juvebatur, ne cum juvantis damno fiat locupletior. Grot. §. *9.* Dn. Stryk. *d. l. n. 22.*

Qu. XXIX. *An is, qui bellum pium gerit, potest locum occupare, qui situs est in solo pacato?*

℞. Aff. si de *consilio hostis* probabiliter constet, quod illum sit occupaturus, nec *de eventu*, ob loci infirmitatem, dubitari possit, quia hac occupatione *non civitati* pacatæ damnum infertur, *sed hosti*, cui eripitur, quod est acquisiturus. Ideò vero locum pacatum occupare non licet, quod quis se aliter tueri non possit. Grot. §. *10.* Puf. *II. 6. 8.* Coccej. *de Bello in amicos* §. *39.* & *45.* Dissent. Hennig. *ad d.* §. *10.* & Fritsch. *in Opusc. var. Tr. de Jure Præsidii. 26. c. 3. n. 9. seqq.*

Qu. XXX. *Sed quo effectu istiusmodi occupatio valet?*

℞. Videndum an hostis aliquod *jus* in illum locum *prætendat*, an non. *Priori* casu occupans in eandem contentionem succedit, & contra loci dominum idem jus armis asserere poterit. *Posteriori* casu nudam loci custodiam habet, relictâ vero domino Jurisdictione & fructibus, & cessante periculo locus redden-

dus

dus est domino. Grot. §. *10.* Coccej. *d. l.* §. *41.*

Qu. XXXI. *Quænam vocantur res innoxiæ utilitatis?*

℞. Illæ quæ accipienti *prosunt* & præstantem *non gravant*, uti sunt non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare &c. Et ad has res dispensandas necessitudo & cognatio à naturâ inter homines constituta nos obligat. Grot. §. *11.* Puf. *III. 3. 1. 2. 3.*

Qu. XXXII. *Licetne perdere rem, quam propter nimiam copiam possidere nolumus, aut cujus asservatio nobis molesta est?*

℞. Neg. sed potius integram eam relinquere debemus, ut aliis *non hostibus* usum præbere possit. Sic fas non est nutrimentum perdere, ubi nos saturati sumus, neque fontem obturare aut occultare, ubi nos affatim bibimus &c. In *bellis* tamen sæpe res perduntur, ne hostem contra nos instruant, id quod in bello justo licitum est, quippe vires hostium omnimodo debi-

bilitare licet. Grot. *d.* §. *11.* Pufend. *d. l.* §. *30.*

Qu. XXXIII. *An Jure N. transitum innoxium aliis concedere debemus?*

℞. Si transitus *omnino innoxius* esse possit, & quis ob justas causas eo uti velit, puta quod finibus suis expulsus alias sedes quærat, aut commercia expetat cum gente remota, aut quod sibi debetur justo bello petat, is concedendus erit; sin non ita, & transitus meæ Reip. *aliquo damno* esse possit, justè denegari poterit, quia salus propriæ Reip. semper potior mihi est. Tesm. *ad Gr. h. c.* §. *13. lit. e.* & *f.* Budd. *Elem. Phil. Pr. P. 2. c. 4. S. 9.* §. *3.* & *4.* Hinc transitum *exercitualem* rectè denegare licet, quando concesso eo facile sedes belli in nostris terris constitui potest, nam hostis transeunti in meo territorio occurrere & æque transitum per meum territorium prætendere posset. Puf. *III. 3. 5.* Ziegl. *de J. M. L. 1. c. 33.* §. *62.* & *L. 2. c. 17.* §. *29.* Fritsch. *d. l. Tr. de Transitu milit. 27. c. 2.* Dissent. Grot. *h. c.* §. *13. seqq.*

Qu.

Qu. XXXIV. *Quid si tamen vires prohibendi deficiant?*

℞. Tunc patientiam aut dissimulationem nostram facile apud alterum intuitu *necessitudinis* excusabimus. Puf. *d.* §. 5. *ibique* Hertius *lit. d.*

Qu. XXXV. *An ita transeuntibus mercibus terra aut amne aut parte maris vectigalia imponi possunt ab eo qui ibi imperium habet?*

℞. Aff. si vectigalia pertineant ad præstandam *securitatem* mercibus, ut si fiant in refectionem pontium, fluviorum & marium, ne frustra aliorum gratia curam reparationis rerum harum habeant incolæ, modo non plus petatur, quam exigunt illa onera. Non si onera ad illas merces nullum habeant respectum, ut *capitatio* civibus imposita. Grot. §. 14. *n.* 1. & 2. *ibique* Felden.

Qu. XXXVI. *An prætervehentibus licet littus accedere & ibi paulisper morari valetudinis aut alia justa de causa?*

℞. Aff. si nihil sit quod obstet *innoxiæ* *uti-*

utilitati, dum non ſint hoſtes aut morbo contagioſo infecti, ſic enim exigit *humanitatis* officium, ut non ſolum exſcendere, ſed & ut in littore *momentaneum tugurium* exſtruere poſſint, modo non littus reddatur deterius, *L. 50. ff. de A.R.D.* Grot. §. 15. Puf. *d. l.* §. 8.

Qu. XXXVII. *An perpetua habitatio concedenda eſt exteris, qui ſedibus ſuis pulſi receptum quærunt?*

℞. Ubi iſti miſeratione digni & civitatis noſtræ rationes non repugnaverint, in illos hoc beneficium conferendum eſt. Alias ita *temperanda* miſericordia, ne nos ipſi aliis evadamus miſerabiles. Grot. §. 16. Puf. *d. l.* §. 10. Zentgrav. *de Orig. J. Gent. art.* 2. §. 28.

Qu. XXXVIII. *An ſi quid forte vacui loci apud nos jaceat, illi velut jure ſuo id occupare poſſunt?*

℞. Neg. ſed his, quæ nos aſſignaverimus iis, contenti eſſe debent. Locus enim ejusmodi *territorio includitur*, quamvis incultus ad tempus jaceat, undè ille arbitrium ſuperioris expectat, cui eundem velit

velit addictum. Hennig. & Tesm. *ad Gr. h. c. §. 17.* Dissent. *ibi* Grot.

Qu. XXXIX. *Quotuplex est ista facultas quam jure naturæ omnes homines habent ad actus aliquos exercendos apud nos?*

℞. Duplex, alia est *simplex*, alia *ex suppositione* Simplex est, quæ semper competit ad tales actus exercendos, quibus comparantur ea, sine quibus vita duci nequit, puta alimenta, vestimenta, medicamenta &c. Et hos lege lata *aut conspiratione* impedire non licet, est enim tale impedimentum naturæ societatis contrarium Grot. §. *18. vid. infra. qu. 43.*

Qu. XL. *Ergone jus est omnibus hominibus ad talia comparanda æquo pretio?*

℞. Aff. si non indigeant ipsi, â quibus petitur. Hinc in summa penuria frumenti venditio rectè prohibetur, & in tali necessitate *expelli* possunt *peregrini*, alias enim indigenæ essent ejiciendi, cum tamen propriæ civitatis cura potior

esse

esse debeat. Grot. §. 19. *ibique* Hennig. Puf. *III. 3. 11.*

Qu. XLI. *An æquè concedendum exteris ut sua apud nos vendant?*

℟. Neg. quia cuilibet *liberum* est statuere, quid velit acquirere vel non, præsertim si exindè damnum aliquod nostræ civitati afferri possit. Quod si rebus quibusdam gens abundet, aliis autem ad vitam necessariis indigeat, & has, nisi illis venditis, sibi comparare non possit, tantum non impedienda est, quo minus eas aliis *per nostrum territorium* vendere possit, si non permittat conditio nostræ civitatis, ut istæ apud nos vendantur. Grot. §. *20. ibique* Bœcl. Puf. *d. l.* §. *12.*

Qu. XLII. *An ad hanc facultatem pertinet etiam libertas matrimonium ambiendi & contrahendi?*

℟. Si qui matrimoniorum expetunt libertatem, iisdem nobiscum utantur sacris, nec scelestum vitæ genus sectentur, aut aliis vitiis indoli status hujus contrariis laborent, *salvo humanitatis* jure illis dari nequit repulsa. Et si *necessitas* insuper

ſuper accedat, populusque virorum, quippe qui unius ſaltem ætatis eſt, cæteroquin periturus eſſet, jure perfecto hoc â nobis exigere poſſunt. Grot. §. *21.* Puf. *d. l.* §. *13.* Budd. *d. S. 9.* §. *10.*

Qu. XLIII. *An vero Princeps cogere poteſt fœminas, ut tranſeant in matrimonium petentium?*

℞. Si aliundè *nulla copia*, &, qui primum rogati ſunt, abundent mulierum innuptarum multitudine, publica autoritate *induci poteſt* idoneus numerus ad talia matrimonia optanda & ultro volentibus nubere adjungi. Bœcl. *ad Grot. h. c.* §. *21.* Horn. *de civit. L. 2. c. 2.* §. *20. n. 2. ſeqq.*

Qu. XLIV. *Quæ eſt iſta facultas ex ſuppoſitione?*

℞. Quæ dicitur hominibus competere ad illos actus quos populus aliquis *externis promiſcuè* permittit in ſuo territorio e. g. venari, margaritas legere, ex teſtamento capere &c. nam hos ſine injuria aliis denegari non poſſe aliqui ſtatuunt. Grot. §. *22.* Verum cum multa *ex*

amicitia fluant, & res nostræ aliam induere possint faciem, quare quod quibusdam concessimus, aliis concedere nolimus, rectius hæc facultas ex suppositione neganda est. Boecl. *add.* §. *22.* Puf. *d. l.* §. *14.* Zentgrav. *c. l. art. 1.* §. *43. seqq.*

Qu. XLV. *An alicui populo licet cum alio populo pacisci, ut is populus sibi soli vendat fructus, qui alibi non nascuntur?*

℞. Aff. si emptor *paratus sit* aliis eos vendere æquo pretio, nam aliorum non interest, a quo emant, quæ desiderant. Quod enim in lucro vel compendio est, in eo *alium industriâ sua prævenire* nemo prohibetur, quando tertio nondum jus quæsitum. Grot. §. *24. ibique* Hennig & Boecl.

Qu. XLVI. *Is erga quem beneficus fui ad quodnam vicissim obligatus est mihi?*

Ad gratum animum exhibendum. Præterea quo magis ad devinciendos animos hominum apta sunt beneficia, eo acrius etiam ad gratiam referendam

nos

nos obligat Jus naturæ, ne eum qui fiduciâ nostri nobis prior benefecit, ob eam rem deteriore conditione esse patiamur. Puf. *III. 3. 16.*

CAPUT III.

De Acquisitione originaria rerum, ubi de mari & fluminibus.

Qu. I. *Quot modis aliquid nostrum fit jure singulari?*

Duobus *Originario* & *Derivativo*, Ille est, quo ab initio in rem aliquam proprietas introducitur, hic, quo dominium jam constitutum ab uno homine in alium transit. De hoc *cap. 6.* de illo hic agetur. Grot. *II. 3. 1.* Puf. *IV. 6. 1.*

Qu. II. *Quomodo fit acquisitio originaria?*

℞. Vel occupatione, de qua *cap. præced. qu. 19. seq.* vel divisione, non illâ, quam post primævam communionem factam. Grotius *d. §. 1. ibique* van der Muelen statuit & negat post illam mo-

dum originarium acquirendi divisionem amplius esse, sed tali, quando plures homines *in re nullius* occupanda concurrunt, & *singulis* privatis per *divisionem* dominium suarum rerum assignant, tunc enim divisio pro modo originario acquirendi dominii adhuc haberi potest. Ziegl. *ad Gr.* §. *1. b. c.* Hertius *ad Puf. d. l.* §. *2. lit. b.* Titius *ad Puf. de O. H. & C. L. 1. c. 12.* §. *6. O. 291.*

Qu. III. *Sed si quid ipsi fecimus, ut in rerum natura esset?*

℞. Ad modos hos acquirendi non pertinet, cum naturaliter nihil fiat, nisi ex materia prius existente. Ea si *nostra* fuerit, continuabitur dominium; si *nullius*, occupationis genus est; si *aliena*, naturaliter nobis solis non acquiritur. Grot. §. *3.* vid. *infra c. 8. b. l.*

Qu. IV. *Quænam possunt occupari?*

℞. Res quæ vacuæ & nullius sunt. Et in his occupatur vel dominium vel imperium seu jus subditis præscribendi, quidnam de illis & bonis illorum fieri velis. Grot. §. *4. ibique* van der Muelen. *p. 115.*

Qu.

Qu. V. *Quæ sunt materiæ subjacentes imperio?*

℟. Duæ, *primaria* sunt personæ, ut in exercitu virorum, mulierum, puerorum quærente novas sedes, *secundaria* locus, qui territorium dicitur. Grot. *d.* §. *4. n. 1.*

Qu. VI. *An lege lata potest Princeps in loco cujus imperium jam occupavit prohibere, ne res mobiles ut metalla, feræ bestiæ à privatis occupentur?*

℟. Potest in illis locis, ubi harum rerum occupatio tacitè privatis permittitur, ut de contraria voluntate, Principem has res sibi retinere velle, omnibus constet. Alias etiam sine tali lege prohibentur privati illas occupare, quia per universitatem jam occupatæ sunt à populo vel eo, qui jus in populum habet, indeque in ejus dominio existunt. Grot. §. 5. & *L. 2. c. 8. §. 5. vid. cap. præc. qu. 22. sq.*

Qu. VII. *Quid in eo requiritur, qui vult dominium acquirere?*

℟. Usus rationis. Sed in infantibus

& furiosis *præsumtus* consensus sufficit, quatenus nemo respuere censetur id, quod sibi expedit. Interim acquisiti dominii exercitium adulti sustinent. Bœcl. Ziegl. Osiand. *ad Grot. h. c.* §. *6.* Puf. *IV. 4. 15.* Aliter Grot. §. *6.*

Qu. VIII. *An territorio occupato mare alluens etiam censetur occupatum?*

℞. Aff. tanquam accessorium, in quantum hoc ad territorii sui utilitatem & necessitatem requiritur. Puf. *IV. 5. 8.* Ziegl. *ad Grot. h. c.* §. *10. & 11.*

Qu. IX. *Cum populus alteri populo se obstringit, ne ultra certum terminum naviget, an hoc docet maris occupationem ante ista pacta factam?*

℞. Neg. sed tali pacto *decedit* populus de jure suo, quod habet commune cum alio, & efficit, ut demum transferatur in alium. Grot. §. *15.*

Qu. X. *Cum flumen mutat cursum, an simul imperii terminus mutatur, & quæ flumen adjecit, an cedunt iis quibus adjecta sunt?*

℞. In

℞. In *arcifinio* agro, quia placuit ut flumen fines territorii constitueret, ejus cursu paulatim mutato, necessario mutantur & territorii fines, & quicquid parti alteri flumen adjecit, sub ejus imperio est, cui est adjectum. In *limitato* agro mutato fluminis cursu nihil de territorio mutatur, quia flumen non erat terminus territorii, sed aliud quid manu factum. Et quod huic agro adjectum, id cedit illis quorum est ager. Grot. §. *16.* Zentgrav. *de Orig. Jur. Gent. Art. 2.* §. *21.* Puf. *IV. 7. 11.*

Qu. XI. *Quomodo distinguuntur hi agri à se invicem?*

℞. *Arcifinii* dicuntur, qui terminos habent hostibus arcendis maximè idoneos, ut plurimum naturales puta flumina, montes *Limitati* sunt, qui manu factos limites habent, ut fossas, aggeres, muros &c. cum quibus, quantum ad præsens negotium, conveniunt agri mensurâ comprehensi, puta per numerum jugerum designati. Grot. *d.* §. *16. ibique* Gronov.

Qu. XII. *An etiam mutatur imperii terminus, si flumen alveum mutaverit?*

℞. Neg. quia flumen etiam quâ imperia determinat, non confideratur *nudè*, quà a qua est, sed quatenus tali *alveo fluit*, talibusque ripis includitur; at quando alveo veteri deserto alia irruperit flumen, non idem erit, quod fuit antea, quo populi ab initio volebant terminum constituere imperii, sed novum, ad quam prima conventio malè contra contrahentium voluntatem extenditur. Alveus itaque hoc casu imperii terminus manet. Grot. §. 17. *ibique* Hennig & Ziegl.

Qu. XIII. *An totum flumen uni populo potest accedere?*

℞. Quanquam in dubio flumen ad utriusque ripæ Principes pro parte dimidia pertineat, potest tamen per *pacta conventa*, aut si alterius imperium in ripam serius & occupato jam flumine cœperit, id totum uni accedere, quia ex numero rerum illarum est, quæ occupari & redigi

in

in dominium possunt. Grot. §. 18. *ibique* Tesm.

Qu. XIV. *An originariè acquiri possunt quæ dominium habere desierunt, puta quia derelicta sunt?*

℞. Privati talia possunt acquirere originariè, si occupationem eorum concedat, aut ea illis assignet civitas aut qui civitati præest, à cujus dominio generali pendent. Alias si quid domino particulari carere incipiat, non fit occupantis privati, sed ad universitatem aut dominum superiorem redit. Grot. §. 19. *n.* 1. & 3.

CAPUT IV.

De

Derelictione præsumta, & eam secuta occupatione: & quid ab usucapione & præscriptione differat.

Qu. I. *Quæ res dicuntur derelictæ?*

Quæ sunt abjectæ eo animo, quod quis eas nolit amplius habere in numero rerum suarum. §. 46. *J. de R. D.* Ziegl. *ad Gr. h. c.* §. 4.

Qu. II. *Unde constat de eo animo?*

℞. Ex verbis, factis & non factis. Sine hujusmodi signis enim interni animi actus nullam juris efficientiam tribuunt. Grot. *II. 4. 3.*

Qu. III. *Quomodo verbis declaratur animus rem alienantis?*

℞. Si talia verba ore vel scripto proferat, quibus sufficienter animus indicatur, quod rem habere nolit. Verba enim quid operari, nec otiosa esse debent. *L. 109. ff. de Leg. 1. L. 12. ff. de Reb. dub.* Grot. *§. 3.*

Qu. IV. *Quomodo factis?*

℞. Si aliquid abjiciatur, nam tali facto declaro me rem abjectam amplius habere nolle. Nisi ea sit rei circumstantia, ut temporis causa & repetendi animo sit abjectum, ut quando quid navis levandæ gratia ejicio. Grot. *§. 4.*

Qu. V. *Quomodo non factis?*

℞. Cum sciam & taceam rem meam ab alio suo jure possideri, eam derelinquere præsumor. Silentium enim scientis & liberè volentis pro consensu habetur.

Grot.

Grot. §. 5. Coccej. *diß. de Silentio* §. 4. *seqq.*

Qu. VI. *Quando tacens pro consentiente habetur?*

℞. Quando de commodo tacentis agitur, non quando de ejus præjudicio & obligatione. Nisi actus sit, quem impedire debuit & potuit, & non impedivit. Ziegl. *h. c.* §. 5. Barbosa *in Thesaur. locupl. Lib.* 18. *c.* 1. *ax.* 6. Alias tacere medium est inter duo extrema, scil. consensum & contradictionem, inter fateri & negare *L.* 142. *ff. de R. J.* vid. Christinæus *Decis. Vol.* 1. *Dec.* 181.

Qu. VII. *In quibus derelictis rebus procedit usucapio?*

℞. Non in illis quæ verbis aut factis derelictæ sunt, harum enim jus statim in alterum apprehendentem transit, sed duntaxat in illis ubi ex neglecta inquisitione & vindicatione voluntas deserendi eas præsumitur. Puf. *IV.* 12. 8.

Qu. VIII. *An ex tempore quis præsumitur sciens vindicationem rei suæ negligere?*

℞. Aff.

℟. Aff. nam vix fieri potest, ut multo tempore res ad aliquem pertinens non aliqua via ad ejus notitiam perveniat, cum multas ejus occasiones tempus subministret. Grot. §. 6. Puf. *d. l.*

Qu. IX. *Quid si contrarium præsumatur à metu, quo is qui de jure amisso queritur, ab interrumpenda præscriptione deterritus est?*

℟. Verisimile non est, metum per tantum temporis spatium, quod hæc præscriptio requirit, duravisse, nam istud tempus multas occasiones adversus metum sibi consulendi, per se vel per alios suppeditat, ut potius in voluntariam patientiam abiisse videatur. Grot. §. 6.

Qu. X. *Quantum tempus requiritur, ut præsumatur animus rem suam derelinquendi?*

℟. Minus inter præsentes quam absentes, minusque ad rem mobilem, quam immobilem præscribendam. Tempus autem memoriam excedens, quasi moraliter infinitum ad rei derelictæ conjecturam semper sufficere videtur. Nisi validissi-

dissimæ in contrarium sint rationes, ut si quis propter impotentiam jus suum sibi vindicare non potens protestatione illud conservet. Grot. §. *6.* & *7.* Puf. *d. l.* §. *9.*

Qu. XI. *Quot anni constituunt tempus immemoriale?*

℞. Cum immemoriale sit, quod in contrarium non habet memoriam, ad immemoriale tempus constituendum non præcisè possunt *centum anni* requiri, sed quandoque plures, quandoque etiam pauciores intervenire, ut initii memoria habeatur deleta. Carpz. *P. 2. C. 1. Def. 7.* Rhet. *Med. Inst. D. 12. pos. 13.*

Qu. XII. *At per scripta monumenta in multa secula propagari potest memoria?*

℞. Memoria hic de *traditione famæ* & auditionis intelligenda, quam tempus aliquando excedit, & quæ ipsa longinquitate suam amittit autoritatem. Bœcler. *ad Grot. h. c.* §. *7.* Thomas. *ad Hub. de Jure Civit. L. 2. S. 4. c. 5. n. 41.*

Qu.

Qu. XIII. *Verum cum nemo præsumatur suum jactare, quomodo præsumendum ex negligentia aliquem rem suam dereliquisse?*

℟. Isti præsumtioni opponitur altera, quod etiam nemo credatur rem illam ad se velle pertinere, circa quam nullam curæ *significationem* longissimo tempore edidit. Grot. *§.8.n.1. ibique* Tesm.

Qu. XIV. *Quid ergo juris in re, quam quis negligentia sua derelinquit, & eam alius possidet?*

℟. Rem illam possessor usucapere seu præscribere potest.

Qu. XV. *Quid est usucapio seu præscriptio?*

℟. Est modus acquirendi dominium rei ad usucapionem habilis à priori domino derelictæ, interveniente bona fide, justoque titulo possessoris, ita ut hic post tempus idoneum priorem dominum, si postea rem vindicare velit, repellere queat. Puf. *IV. 12.1.seqq.*

Q. XVI. *Quo jure nititur usucapio?*

℟. *Originem* suam potissimum debet juri

juri naturali, ita tamen ut Gentium plerarumque consensu & legibus civilibus non tantum confirmata, sed etiam pro conditione cujuslibetReipubl. *peculiarem formam* acceperit. Kulpis. *Coll. Grot. h. c.* §. *1.* Budd. *El. Ph. Pr. P.2.c.4. S.6.* §.*30.* Dissent. Osiand. *h. c. th. 1.*

Qu. XVII. *Quas rationes pro usucapione suggerit Jus Naturæ?*

℞. Quod (1) tranquillitatis & pacis intersit, ut possessiones rerum extra controversiam collocentur, nec diu aut ferè semper incertæ maneant (2) quod pro derelicto rem suam habere judicetur, qui diu eandem habere neglexit, cum longo tempore ad id occasiones vix deesse potuerint (3) præsertim cum longe gravius videatur post diuturnam possessionem re bona fide parta iterum privari, quam olim amissa, & cujus desiderium dudum erat digestum, in perpetuum carere. Unde constat in conscientia salvos esse posse, qui præscriptionis jure utuntur. Puf. *d. l.* §. *5.* Rhet. *d. D. 12. pos. 1.*

Qu.

Qu. XVIII. *An usucapio inter diversos Reges ac populos quoque obtinet?*

℞. Aff. idque eo magis, quo gravioribus motibus publicæ possesiones quam privatorum inquietantur. Undè si accidat, quod detentor vel etiam verus possessor jus in regnum in alium titulo *venditionis* vel alio in præjudicium *agnatorum* suorum transferat, si hi per tempus idoneum ad præsumtam derelictionem sileant, præscriptioni procul dubio locum faciunt. Alias Reges quod possident, aut jure belli aut titulo pacifico acquisiverunt, inde non opus est ad usucapionem provocare. Puf. *d. l. §. 11.*

Qu. XIX. *An igitur summa imperia hoc modo amitti & ab altero possessore acquiri possunt?*

℞. Aff. quia possunt expresse derelinqui & in alium regem transferri, ergo etiam tacitè. Præterea interest *humanæ societatis* imperia tandem aliquando in certo & extra controversiæ aleam constitui. Hinc non saltem Rex adversus Regem,

gem, populus liber adversus populum liberum, liberum jus imperandi usucapione acquirere, verum etiam alicujus populi verus rex regnum amittere & populo subjici, & qui reverâ non rex sed Princeps erat, Rex summo cum imperio fieri potest. Grot. §. *8. n. 2. & 3. & §. 11.* Veltheim *ad eund. h. c. qu. 2.* Conring. *de finib. Imp. L. 2. c. 19. §. 14.* Dissent. Horn. *de Civit. L. 2. c. 9. §. 19. sqq.*

Qu. XX. *Verum injusta est ista subjectio, qua populo Rex subjicitur?*

℞. Si tamen rex in subjectione ista *acquiescat*, & cum populo ut superiore *contrahat*, ex hoc facto purgatur vitium, nec poterit deinceps ille jus suum pristinum urgere. Ziegl. *ad Gr. h. c. §. 11. & 12. in f.*

Qu. XXI. *An nondum natis per tacitam derelictionem parentum & majorum suorum jus potest decedere?*

℞. Potest, si nondum concepti & nati, quia eorum nullum jus est, ergo nec illis ereptum quid dici potest. Bona enim

parentum *tum demum* ad liberos pertinere incipiunt, quando parentes *eadem obtinent ad illud usque tempus, quo in liberos transire debent.* Quare populi & parentum voluntate, citra nondum natorum injuriam, jus imperandi potest ab alio ut derelictum occupari. Nec temerè Leges civiles velle censendæ sunt, ut nondum natorum personam Lex sustineat, quia sic fieret, ut aliquo modo imperia in incerto essent. Grot. §. *10.* Pufend. §. *10.* Budd. *Sel. Jur. N.& G. Exerc. de Testam. Summ. Princip. c. 2.* §, *17.*

Qu. XXII. *An Lex civilis de præscriptione lata prodest civibus contra jura Majestatis?*

℞. Neg. v. gr. ut subditus habeat jus leges condendi, ut desinat esse subditus, ne vocatus in jus eat, tributum solvat, &c. quia Princeps sua lege non potest se obligare, ut quæ tantum à superiore ferri debet, nemo autem se ipso superior est. Nec præsumitur voluisse, quia legum autores tunc demum submittere se velle videntur legibus, quando agitur de rebus *universer-*

versalibus, & quas habent *communes cum subditis* e. gr. in materia contractuum. Secus vero in *reservatis* sibi, quæque adeò extra omne pretium & æstimationem jacent. Grot. §. *12. ibique* Hennig. van der Muelen. *p. 163.* & Tesm. conf. Ziegl. *ad. d.* §. *12.*

Qu. XXIII. *Potestne tamen in delatione imperii populus suam voluntatem exprimere, quo modo ac tempore imperium non utendo amitti velit?*

℞. Aff. Et hæc voluntas non potest infringi à rege etiam summum imperium habente, quia hoc non pertinet ad imperium ipsum, sed ad *ejus habendi modum*, qui pendet ex primæva voluntate coeuntium in civitatem, nec comprehenditur sub imperio, quia tunc adhuc nullum fuit. Grot. *d.* §. *12. n. 2. ibique* Tesm. *lit. z.*

Qu. XXIV. *Annon tamen aliqua subjacent cujusque populi legibus civilibus de usucapione & præscriptione factis?*

℞. Ea subjacent, quæ *non sunt de na-*

tura summi imperii, nec ut proprietates ad eam pertinent, sed ab ea commodè separari possunt, aut cum aliis communicari. Talia sunt regalia minora v. gr. Jus venandi, habendi sacra in privato. Sic videmus subditos esse, qui præscriptione acquisiverunt, ut aliquo modo appellari ab iis non possit. Grot. §. 13. *ibique* Tesm. *lit. a. & c.*

Qu. XXV. *An semper etiam post hominum memoriam licet subditis se vindicare in libertatem civilem?*

℞. Neg. sive *vi* partum imperium, sive *voluntate*; nam priori casu ex tacita voluntate firmum jus accipere possunt imperia; posteriori voluntas potest jus dare, quod contraria voluntate irritum reddi nequit. Grot. §. 14. *ibique* Tesm. & Obrecht. vid. Mev. *de Amnestia charta D. 2. seqq.* conf. supra *L. 1. c. 4. qu. 18. & 19.*

Qu. XXVI. *An actus meræ facultatis præscribi possunt?*

℞. Neg. quia, cum illi relicti sint liber-

bertati naturali, amitti nequeunt præscriptione, nec *antequam fiunt*, sunt in rerum natura. Nisi ex quo tempore intercessit *prohibitio* aut coactio, eique paritum est cum sufficienti consensus significatione Grot. §. 19. *ibique* Ziegl. Struv. *S. J. C. Ex. 43. §. 22.*

CAPUT V.

De

Acquisitione Originaria juris in personas; ubi de jure parentum, de matrimoniis, de collegiis, de jure in subditos, servos.

Qu. I. *Jus quod in personas nobis originarie acquiritur, ex quo fonte nascitur?*

NAscitur (1) ex *generatione*, (2) *consensu* & (3) ex *delicto* Grot. *II. 5. 1.*

Qu. II. *Unde ergo oritur imperium parentum in liberos?*

℞. Non ex jure victoriæ, ut statuit Hobbesius *de Cive c. 9. §. 2. seqq. & in Leviath.*

viath. c. 20. qui originarie illud matri tribuit, derivativè saltem patri. Nec ex alimentatione parentum & præsumto liberorum consensu, ut putat Pufend. *VI. 2.4.* Neque ex divina concessione tanquam causa immediata, prout vult Hornius *de Civit. L. 1. c. 2.* sed ex *Generatione* moraliter considerata, quâ parentes quodammodo Deum referunt, dum eundem qui nondum fuit, existere faciunt. Grot. *d. §. 1. ibique* Boecler. & van der Muelen Kulpis. *Coll. Gr. d. t. §. 1.* Hertius *ad Puf. d. l. lit. b.*

Qu. III. *Verum proles ex generatione persona patri similis est, hinc ejus imperio non potest videri subjecta?*

℟. Similis est patri quoad *jura communia* in ordine ad alios, utpote libertatis, civitatis & familiæ, non quoad *jura propria* seu *personalia* inter se invicem; quoad hæc enim per generationem dispar jus & inæqualis obligatio inter parentem & filium constituitur Kulpis. *d. l. lit. c.*

Qu.

Qu. IV. *An ex generatione æquale imperium competit patri & matri?*

℟. Competit in *relatione ad liberos,* non quatenus consideratur *respectu parentum,* eatenus enim jus matris cedit juri patris, ob imperium quod maritus etiam in ipsam uxorem habet. Adeoque ubi utrique Parentum obedire simul nequit filius, imperium patris præfertur. Kulpis. *d. l.* van der Muelen. §. *1.*

Qu. V. *Quale vero est Imperium parentum?*

℟. Extendit se in liberorum personas & bona, vi cujus illos regere & hæc administrare possunt ad communem familiæ utilitatem. Vitriar *Inst. J. N. & G. b. c. qu. 4. & 5.*

Qu. VI. *Quousque durat hoc imperium in liberos?*

℟. *Generatim* loquendo tam diu durat, quamdiu vel ob *defectũ Judicii*, vel ob *necessitates privatas* in familia parentum liberi agunt. *Partitim* vero ejus exercitium per tria tempora sese exerit, (1) circa primum *judicii imperfecti* tempus, quo liberi

ſe ipſos regere nequeunt, in *omnes* liberorũ actiones (2) circa tempus *perfecti judicii*, ſed quo liberi adhuc degunt in familia paterna, ubi illæ ſolum, quæ ad *familiæ ſtatũ* aliquid momenti habent, imperio patris ſubjectæ; in cæteris actionibus, quæ *non pertinent ad familiam*, liberi habent facultatem moralem agendi, ita tamen, ut ſemper ſtudeant parentibus placere: (3) circa *perfecti judicii tempus*, quo liberi familiam paternam egreſſi ſunt, & tunc actiones eorum quidem liberæ ſunt ab iſto imperio, *durante* tamen ſemper *autoritate parentum*, cui ex parte liberorum perpetua reſpondet reverentia & pietas. Grot. §. *2.3.* & *6. ibique* van der Muelen. Kulpiſ. *d.l.* §. *2.* Puf. *VI. 2. 7.*

Qu. VII. *Quid ſi liberi regimini paterno recalcitrent, an jus coercendi eos habent parentes?*

℞. Jus regendi etiam jus coercendi complectitur. ſcilicet quoad *modicam caſtigationem*, quippe quæ in tenera ætate ſufficit. Si tamen citra *ſpem emendationis* omnem diſciplinam pertinaciter aſper-

aspernatur soboles, poterit domo patria ejici & abdicari. Gr. §. 4. Pufend. *VI. 2. 6. in f.* Horn. *d. l. §. 4.*

Qu. VIII. *An pater filium potest oppignorare vel vendere?*

℞. In tolerabilem servitutem potest, si (1) nulla alia ratio adsit prolem alendi, ne inopiâ extinguatur (2) venditio fiat sub lege retractus, ut pater, quando ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quisquam ex cognatis venditam prolem redimere possit. Grot. §. 5. *ibique* van der Muelen. Thomas. *III. 4. 73.* Dissent. Becm. *diss. de Exuper. Obsequ. c. 3. §. 11.*

Qu. IX. *An extendit se patria potestas ad jus vitæ & necis?*

℞. Neg. quia ad finem obtinendum in societatibus simplicibus, quales sunt maritalis, paterna & dominica, *tanto imperio opus non est*, uti quidem in civitate, ubi sine illo securitas & ordinata tranquillitas obtineri non potest. Itaque ob delictum filii morte dignum in civitatibus capitalis pœna ab imperantibus dictanda, in familia segrege Deo vindicta

relinquenda, ut fieret si pater familias delictum capitale commisisset. Bœcl. *ad Gr. h. c. p. 183.* Becm. *Consp. Pol. p. 47. & Pol. Parall. c. 8.* §. 5. Dissent. Hennig. *h. c.* §. 2.

Qu. X. *Quomodo jus in personas oritur ex consensu?*

℞. Illud venit vel ex *consociatione* vel ex *subjectione*. Maximè autem naturalis consociatio apparet in conjugio. Grot. §. 8.

Qu. XI. *An in hac consociatione Imperium est commune?*

℞. In uxorem competit soli marito, marito cum uxore competit in familiam, habita tamen ratione prærogativæ marito competentis, ob sexus præstantiam & divinam institutionem *Gen. III, 16.* Hinc maritus uxoris caput est in rebus conjugii & rebus familiæ, & de domicilio jus est constituere marito. Grot. §. 8. *n. 1. ibiq.* Tesm. Puf. *VI. 1. 11.*

Qu. XII. *Quid est Conjugium?*

℞. Conjugium est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens §. 1. *J. de P. P.* Lyncker *in not. ad*

ad Bœcleri Instit. Polit. L.1.c.2.p.12. Aliter Grot. §.8. n.2.

Qu. XIII. *An ad ineundum Conjugium omnes & singuli obligati sunt?*

℞. Aut quæritur de obligatione *totius generis humani* aut de *singulorum hominum.* *Priore* casu homines ad contrahendum matrimonium obligati sunt, ne omnium cœlibatu pereat genus hominum, *posteriore* casu quilibet saltem ad illud ineundum tenetur sub conditione, si non singulari *dono continentiæ* instructus malit vitam cœlibem vivere Puf. *VI. 1.3.6.7.* vid. Simon *ad Guilielm. Grot. de Princ. J. Nat. cap.9.* §.5.

Qu. XIV. *Sed an matrimonium cœlibatui præferendum?*

℞. Uterque status est indifferens. In comparatione vero commodorum ex utroque statu provenientium res vel *absolute* consideranda, vel *comparate* ad hanc vel illam personam. Et ibi conjugii status videtur præstantior; hic cœlibatus præferendus, si persona, quæ in illum consentit, sit dono continentiæ instructa,

&

& videat se meliora officia Deo & hominibus in hoc statu præstare posse. Lauterb. *Coll. Th. Pr. tit. de Sponsal.* §. 2.

Qu. XV. *Licetne uni viro plures uxores habere?*

℞. Diverso tempore licet, seu post mortem primæ conjugis aliam ducere potest maritus, & viceversa post mortem mariti uxor alii viro nubere, *Polygamia* enim hæc, quæ *successiva* dicitur, permissa, cum à lege prioris conjugis per mortem solutus superstes. Arnisæus *de Jure Connub.* *c.* 5. *S.* 6. Huber. *P.* 2. *Digress. Lib.* 1. *c.* 14.

Qu. XVI. *An & uno eodemque tempore?*

℞. *Jure Naturæ* licet, seu eo jure *Polygamia simultanea* est permissa, quia non pugnat directè cum finibus societatis conjugalis, nec socialitatem hominis turbat, eamque Deus in V. T. Populo Judaico permisit, ac planè inter beneficia Davidi data retulit, quod salva sua sanctitate haut potuisset facere, si juri naturæ contraria reperiretur. Grot. §. 9. Eadem nec *Jure Divino positivo universali* prohibita legi-

legitur, nam nullibi eam prohibens lex extat. Verba enim *Genes. II, 24.* pluralitatem fœminarum non prohibent, sed arctissimum conjugii vinculum inter conjuges futurum significant, quod non in injuriam alterius conjugis rumpendum. Ac ita quoque Salvator apud *Matth. XIX, 9. Marc. X, 8.* intelligendus, qui verbis illis nihil aliud quam levitatem divortiorum improbat, & ad primam institutionem provocat, dicendo: conjuges conjunctos esse, non ut separentur, sed una caro maneant. Sane etiam Apostoli interque eos Paulus, nusquam Judæos Christiana Sacra amplexos, quorum tamen plures haut dubiè erant Polygami, reprehendisse, aut divortium imperasse leguntur. Unde colligi potest: Mahumedani ad christianam religionem conversi matrimonium cum pluribus uxoribus sustineri Dn. Hoppe *Comment. Instit. tit. de Nupt.* §. *6.* Hertius *Tom. 1. Opusc. de matrim. putat.* §. *45.* vid. Brückner. *Decis. matrim. P. 2. cap. 14.* Dissent. Brunsmann *de Monogamia Victrice.*

Qu.

Qu. XVII. *An viceversa una mulier pluribus simul viris conjungi potest?*

℞. Neg. sed hoc repugnat Juri naturali. Regularis enim matrimonii finis est, certam sibi & suam quærere prolem. At quis in ista confusione seminum, ubi plures viri cum una muliere congrediuntur suam cognoscere posset? Puf. *VI. 1. 15.* Thomas. *d. l. n. 206.* van der Muelen. *d. 9. p. 190.* Bruckner. *d. l. n. 2.*

Qu. XVIII. *An Jure naturæ divortia sunt licita?*

℞. Natura quidem tam arctæ conjunctionis ostendit: matrimonium debere esse perpetuum & non nisi alterutrius morte finiendum; ubi tamen essentialia conjugii capita fuerint violata v. gr. per *adulterium & malitiosam desertionem*, pars læsa jure naturæ facultatem accipit à matrimonio discedendi Puf. *d. l. §. 20. seqq.*

Qu. XIX. *Quid censendum de separatione quoad thorum & mensam?*

℞. Non solvitur per eam ipsum matri-

trimonium, ſed recepta eſt inter Chriſtianos, ob mores malè compoſitos, ſine permiſſione tamen ad ſecunda vota transeundi, ut majora mala impediantur & conjuges ad concordiam revocentur. Puf. *d. l.* §. *22.* & *de O. H.* & *C. L. 2. c. 2.* §. *6.*

Qu. XX. *An conſenſus parentum J. N. requiritur ad matrimonium liberorum?*

℞. Non requiritur, ut *validitatem actui conciliet*, quia principium dans actui internam validitatem penes ſolos contrahentes eſt, quales hic liberi ſunt, qui, quando matrimonium contrahunt, & maturæ ſunt ætatis, & extra familiam paternam abeunt, adeoque de facultate ſua liberè diſponunt. Requiritur tamen *ex officio reverentiæ*, quia proles originem debet parentibus, & educationis officium ſubmiſſione quadam penſandum. Igitur ſi ille conſenſus omittatur, contra reverentiam quidem peccatur, matrimonium tamen non reſcinditur. Grot. §. *10. n.* 1. Puf. *VI. 2. 14.* Thomaſ. *Diſp. de Valid.*

dit. Conjug. invit. parent. contract. §. 15. *seqq.* Huber. *P. 1. Digress. L. 2. c. 15.* §. 3.

Qu. XXI. *Cum quibus licet contrahere matrimonium?*

℞. Matrimonium contrahere potest quilibet cum qualibet, si ætas, corporis & animæ constitutio matrimonio habilis adsit. Nisi arcta nimis sanguinis aut affinitatis conjunctio impedimentũ struat. Lauterb. *Coll. Th. Pr. tit. de R. N.* §. 42. *seqq.* Puf. *VI. 1. 25. seqq.*

Qu. XXII. *An cum ea persona matrimonium permissum, quæ alteri adhuc nupta est?*

℞. Neg. quia moralis facultas deficit, nam jus alterius conjugis tamdiu durat, quamdiu eidem non renuntiaverit, quod tanquam alienum fidem dans matrimonii in obligationem deducere nequit. Grot. §. 11. *ibique* Tesm. Puf. *VI. 1. 27.*

Qu. XXIII. *Cur J. N. inter ascendentes & descendentes prohibitæ sunt nuptiæ?*

℞. Quia (1) in hominum affectibus, quorum ratio non est corrupta, insita est

fuga

fuga quædam commixtionis cum parentibus & ex se natis, quos tales esse novimus. Guil. Grot. *de Princ. Jur. nat. c.* *12. §. 9.* (2) Si talia conjugia permitterentur, maxima familiarum, quin totius generis humani confusio, indè secutura esset. Grot. *§. 12. n. 2. & 5. ibique* Tesm. *lit. a. & u.* & Osiand. *th. 12. p. 766.*

Qu. XXIV. *An etiam eo jure personæ in transverso cognationis vel affinitatis gradu, quæ se habent ut fratres & sorores, vel ut parentes & liberi, conjungi vetantur?*

℞. Hoc tutò dici non potest. *Præcepto* tamen *divinæ voluntatis* propter communem necessitatem & utilitatem apud omnes gentes, quæ sana ratione utuntur, nuptiæ inter illas personas prohibitæ leguntur, ob *reverentiam erga sanguinem* & nomen paternum, quam in his personis deprehendimus; neve harum personarum convictus nimis quotidianus atque inobservatus stupris & adulteriis ansam daret, si amores tales nuptiis conglutinari possent. Gr. §. 13. & 14.

Puf. *VI. 1.34. seqq.* conf. Selden. *d. J. N. & G. L. 5. c. 8.* Dissent. Huber. *P. 1. Digress. L. 2. c. 19.*

Qu. XXV. *An contra J. N. peccat qui ignorans & bona fide cum filia vel quæ cum filio ita contrahit matrimonium?*

℞. Neg. quia non habet animum cum filia contrahendi; hinc nec incestum committit. Et hoc matrimonium *Putativum* vocatur, quod cum vero eosdem habet effectus, quamdiu error & ignorantia subest. Dn. Hertius *d. l. §. 14. 35. 39.* van der Muelen. *ad §. 12. n. 2. seqq. h. cap. p. 209.* Bruckner. *Decis. matrim. c. 30.*

Qu. XXVI. *Estne Christiano cum Mahumedana aut Judæa matrimonium hoc jure permissum?*

℞. Aff. quia religio cum matrimonio nihil commune habet, sed substantialia ejus, utpote fides mutua & perpetua cohabitatio, non minus in hoc quam in alio matrimonio adsunt. Nubit Christianus infideli, non impietatem ejus recipit. vid. Observ. Hallens. *Tom. X. Observ. X. §. 8. sqq.*

Horn.

Horn. *de Civit. L. 2. c. 2. §. 20. n. 4.* Zentgrav. *in Summa J. Div. S. 2. art. 3. Subsect. 1. §. 16.*

Qu. XXVII. *An Concubinatus est verum & ratum conjugium?*

℞. Aff. si non *libidinis* explendæ, sed *habendæ prolis causa* sit in perpetuum vitæ consortium initus, licet sit *minus solenne* conjugium, & destituatur quibusdam effectibus juris civilis, nam concubina dignitate & successione inferior est legitima uxore. Grot. *§. 15. n. 1. ibique* Ziegl. & Tesm. *lit. a. & i.* Thomas. *ad Huber. de jure civit. lib. 2. S. 1. c. 3. n. 26.*

Qu. XXVIII. *Quid est matrim. ad Morganaticam contractum?*

℞. Est, quod inprimis vir illustris cum fœmina inferioris conditionis hac lege contrahit, ut uxor pariterac liberi ex ea nati certa portione assignata sint contenti; & à reliqua hereditate, imo & dignitate paterna excludantur. *2. F. 29.* Lynk *Diss. de matrim. Leg. Salica contracto.* Cujus matrimonii exempla refert Myler *in Gamol.*

Princ. c. 6. n. 15. seqq. Rhetius *Comm. Jur. feud. L. 1. tit. 8. n. 42. p. 307.*

Qu. XXIX. *Estne licitum hoc matrimonium?*

℞. Aff. quia in individuam vitæ consuetudinem cum tali uxore contrahitur. Et quamvis sinistræ manui ea jungi soleat, nihil tamen indè decedit vinculo matrimoniali. Dn. Stryk *in Ex. Jur. feud. c. 7. qu. 7.* Lynck. *d. l. c. 3. n. 35.*

Qu. XXX. *Quis finis est hujus matrimonii?*

℞. Ut conserventur familiæ illustres, liberisque prioris matrimonii per divisionem bonorum præjudicium non contingat, ipse verò maritus in peccato seu illicito concubitu vivere non cogatur. Dn. Stryk. *d. l. qu. 6.* Puf. *VI. 1. 36.*

Qu. XXXI. *Annon istud diffidentiam erga Deum continet?*

℞. Diffidentia hæc vitium animi est, non conjunctum cum ipso matrimonio. Unde qui isto vitio caret, matrimonio tali non minus licitè utitur, ac vitalitio aut tempore pestis exterorum etiam sanorum

rum exclusione à rebus innoxiæ utilitatis, aliove modo pro sua salute sibi prospicit. Speckhan *Cent.1. qu. 11. supra h. l. c. 2. qu.39.*

Qu. XXXII. *Præter hanc consociationem naturalem, quæ sunt aliæ consociationes?*

℟. Sunt vel *privatæ* vel *publicæ*: & hæ quidem aut in populum, quando plures patres familias coeunt in unam civitatem, & populum constituunt, aut ex populis, ut in fœdere. Grot. *§.17.23. & 25. inf.*

Qu. XXXIII. *Quis modus est gerendi negotia Civitatis?*

℟. In *Statu monarchico* quod Princeps vult circa negotia quæ *ad statum civitatis* pertinent, etiam ipsa civitas velle videtur. In *Statu Aristocratico* aut *Democratico*, seclusis pactis aut legibus. vid. *c. 6. X. de Electione & Elect. potest* illud habetur pro voluntate civitatis, in quod consensit pars major hominum, ex quibus concilium componitur, ut & singuli in civitate exindè obligentur, quia alia via expediendi

negotia civilia inveniri nequit, & indignum foret, si pars major cogeretur se minori accommodare. Grot. §. 17. *ibique* Bœcler. *p.* 173. Puf. *VII.* 2. 14. & 15.

Qu. XXXIV. *Quid si pauciorum vota sint prudentiora, aut magis videant veritatem?*

℞. Quando *speculativè* versamur in negotio, & de sola veritate emenda solliciti sumus, verum est, eorum sententias potius esse amplectendas, qui veritatem, quam qui falsas consultationes inspiciunt, cum nullum indè damnum Reip. suboriatur. At quando negotium *practicè* tractandum, merito summa rerum plurium consensu peragitur, quia alias nec regi posset societas, nec negotia expediri, & deliberationes nullum planè vel difficilem sortirentur eventum. Obrecht. *ad Gr. d.* §. 17. Dn. Coccej. *Diss. de eo quod justum est circa num. suffrag. Sect.* 1. §. 2. Pufend. *d. l.*

Qu. XXXV. *In quibus negotiis votorum pluralitas non attenditur?*

℞. Non attenditur, quando res ad univer-

versitatem non pertinet *ut universitatem*, sed *ad singulos* de universitate, præcipue in causâ religionis; nam religio Dei est, quam multitudo vel paucitas suffragiorum non fulcit, nec evertit, sed ad singulorum conscientiam pertinet. Strauch. *Diss. jur. publ. 7. th. 3.* Dn. Coccej. *d. l. §. 20. seqq.*

Qu. XXXVI. *Quid si pares sint sententiæ discrepantes?*

℞. Nihil agitur, sed res in priori statu manebit, quia ad mutationem non satis est momenti, & par utrinque pondus æquilibrio velut rem suspendit. Et hanc suffragiorum parilitatem Dd. *Calculum Minervæ* appellant. Grot. *§. 18.* Bœcler. *Diss. de Calculo Minervæ.* Coccej. *d. Diss. Sect. 2.*

Qu. XXXVII. *Quid si contingat, ut nec majora, nec paria ab alterutra parte suffragia adsint, sed diversæ prorsus à singulis pronuncientur sententiæ?*

℞. *Omnes damnantes jungendi sunt contra absolventes; & si plures damnan-*

 tes

tes in genere pœnæ dissentiant, jungendi ii, qui propius idem sentiunt. Reus enim in judicio vel absolvendus est vel condemnandus. Non potest autem absolvi, si plures, etsi diversis pœnis, condemnent, cum ratio non permittat, ut plures paucioribus cedant; nec, si diversæ pœnæ dictantur, potest condemnari, nisi una ex iis intelligatur, in quam plurimi condemnantes simul propius consentiunt, etsi singuli in genere pœnæ non conveniunt. Dn. Coccej. *d. Diss. Sect. 3.* §. *3.* Dissent. Grot. *h. c.* §. *19.* Puf. *VII. 2. 18.*

Qu. XXXVIII. *Quo Exemplo hoc declarari potest?*

℞. Fac: duos judices ad mortem condemnare, duos alios in insulam relegare, tres vero absolvere; hic contra absolventium sententiam media pœna erit apprehendenda, & ex plurium condemnantium sententia relegatio statuenda, quia plures consenserunt in pœnam, licet in modo pœnæ dissenserint. Et licet nihil commune habeat occidere & relegare, æquè ac relegare & absolvere, quatenus ta-

tamen pœna eſt æſtimatio delicti, minor æſtimatio continetur ſub majore, & ille, qui in plus condemnat, procul dubio cum eo, qui proximè ad hanc pœnam accedit, hactenus convenit. Undè hoc ſenſu aliqua propinquitas inter has duas pœnas eſt, occiſionem ſcilicet & relegationem, Coccej. *d. Sect. 3. §. 7.* Vid. Huber. *L. 3. S. 2. c. 6. §. 5. & 6.*

Qu. XXXIX. *Si qui ſuffragari non poſſint, abſentia vel aliter impediti?*

℞. Impeditorum nulla ratio habetur; ſed jus eorum *accreſcit præſentibus*, modo illi ad deliberationem ſint vocati. *Tardè* vero *venientes* re integrâ, ſeu durante adhuc tempore deliberationi præfixo, jus ſuffragandi integrum retinent. Grot. §. 20. de Jena *de Rat. Stat. Diſſ. 14. Concl. 2.* Coccej. *d. l. S. 1. §. 27. & 29.*

Qu. XL. *Quis eſt ordo naturalis inter ſocios?*

℞. Ordinem inter ſocios tempus ferè conſtituit, ut primi ſint, qui prius in ſocietatem venerunt, ſi, ut de ſociis, ſermo eſt. Alias etiam aliæ qualitates ſupervenientes

considerantur. Grot. §. 21. *ibique* Bœcler.

Qu. XLI. *Quid de ordine regum & populorum christianorum in Conciliis dicendum?*

℞. Antiquitus mos obtinuit, ut Christianismum primum professi præcederent cæteros in Conciliis ad rem christianam pertinentibus, quod boni ordinis causa servatur, sed propterea non promiscuè ad actus politicos extendendum. Gr. *d. l. ibique* Tesm. *lit. e.* Puf. *Differt. de Existimat.* §. 27.

Qu. XLII. *Quis ordo servandus in societate, quæ fundamentum habet in re tali, quam omnes non participant æqualiter?*

℞. Æstimatio & dignitas sociorum ex *modo possessionum* sive opibus ac potentia pendi consuevit, quia quo plus quis confert ad exequendum id, in quod dat consilium, eo major debet esse autoritas ejus, & ad eum modum etiam sententiæ ferendæ. Sic qui prior participat de re, & plures partes in ea habet, prior dicit sententiam & plures, & ad eundem modum one-

onera fert. Grot. §. *22. ibique* Bœcl. & Tesm. *lit. a.*

Qu. XLIII. *An civibus de civitate discedere licet venia non impetrata?*

℞. Aff. si ex isto abitu civitas damnum non patiatur, quia utilitatum suarum gratia quis intravit civitatem, quæ ubi eas non præbet, prohibitum non erit, civitatis fines excedere. Nisi pactis aut legibus migrandi facultas adempta sit. Grot. §. *24.* Puf. *VIII. 11. 2. seq.* Huber. *de Jure civ. L. 2. S. 2. c. 1. n. 34. seqq.*

Qu. XLIV. *An gregatim discedere possunt?*

℞. Neg. si sit talis discessus, qui planè repugnat societati civili, quia hæc subsistere non posset. Grot. §. *24.* Dissent. Puf. *d. l.* §. *4.* & Osiand: *ad d.* §. *24.* quibus respondet Obrecht *ad. Gr. d.* §. *24.* Nisi discedentes conservari nequeant, aut subjectio illis sit calamitosa, ut in religionis causa. Grot. *II. 6. 5.* Becm. *Diss. de Jure Princ. recip. exul. c. 2. & 3.*

Qu. XLV. *An viceversa civis invitus pro lubitu ex civitate expelli potest?*

℞. Neg.

℞. Neg. quia civis omnem suam fortunam civitati velut illigat, quam sine causa turbare non modo odiosum, sed & injuriosum esset. Non ita civitas uni vel alteri civi incolumitatem suam superstruxit, hinc parum ipsius interest, si is pro lubitu demigret. Puf. *d. l.* §. *6.*

Qu. XLVI. *An in ejectos exules ex delicto civitas jus adhuc habet?*

℞. Neg. quia quos ejicit, delet ex albo civium, ponitque in numero peregrinorum. Grot. §. *25.*

Qu. XLVII. *Quotuplex est subjectio ex consensu?*

℞. Duplex *privata* aut *publica:* illaque rursus multiplex pro multiplici regiminis genere. *Nobilissima* species est arrogatio, quâ quis se ita dat in familiam alterius, ut ei subsit ad eum modum, quo filius, qui maturæ est ætatis subest patri. Grot. §. *26.*

Qu. XLVIII. *An ita pater filium suum alteri dare debet, ut jus paternum plenè in eum transeat?*

℞. Neg. quia jus patris naturalis nexu quo-

quodam divino copulatum ludibrio dissolvi non debet, sed potest filium alteri commendare & alendum dare quasi substituendo. Grot. §. *26. ibique* Tesm.

Qu. XLIX. *Quæ est ignobilissima subjectionis species?*

℟. Qua quis se dat in *perfectam* servitutem, quæ scilicet debet perpetuas operas pro alimentis, aliisque quæ vitæ necessitas exigit. Grot. §. *27*. vid. *qu. 56.*

Qu. L. *Anne talis servitus nimiam habet acerbitatem?*

℟. Neg. quia in *quali conditione* quis vivat, libera nempe an servili, jure naturæ perinde est, & perpetua obligatio perpetuâ *alimentorum certitudine* compensatur, quam sæpè non habent, qui diurnas operas locant. Quin magis habet hæc servitus sua commoda, præsertim in illis hominibus, qui ob *stupiditatem* ingenii sibi & rebus suis consulere non possunt, ut domino tanquam directore melioris vitæ utantur. Grot. §. *27*. *ibique* Tesm. Puf. *VI. 3. 4.*

Qu.

Qu. LI. *Quousque se extendit Jus Domini in servos?*

℞. Dominus potest tali servo operas quascunque velit injungere, habita tamen ratione virium & dexteritatis ipsius. Potest quoque negligentiam & socordiam servi asperioribus remediis coercere, & si opus ex familia expellere & socordiæ suæ relinquere. Si atrox aliquod delictum admiserit in alios extra familiam, in *civitatibus* pœnæ potestatis civilis subjacet; ubi *familia segrex* fuerit, expelli poterit. Sed ubi delictum in ipsam familiam segregem admissum, jure belli ut hostis potest tractari, non etiam â domino vi imperii morte affici. Gr. §. 28. Puf. *d.* §. 4. Thomas. *Jpr. Div. III. 5. II. 14. seqq. qu. 9. h. c.*

Qu. LII. *An jure naturæ partus ancillæ matrem sequitur?*

℞. Aff. 1. quia mater certa regulariter est, nec partum abnegare potest, 2. ut magis faveretur partui ob conditionem matris, quæ triplici tempore spectatur, & quo concepit, & quo in utero gestavit, & quo peperit. Ziegl. §. 29.

Qu.

Qu. LIII. *Unde nascitur Jus dominorum in prolem servilem?*

℞. Ex præbitione alimentorum, eorumque quæ vitæ sunt necessaria. Parens enim ejusmodi prolis *nihil proprii* habet, quo illam alere possit, sed dominus alimenta ejusmodi proli *diu præbet* ante, quam ipsius opera utilis esse possit, & sequentes operæ sui temporis alimentis respondeant. Hinc servitutem ab ea sua benignitate dominus sibi comparavit. Grot. §. *21.* Puf. *d. l.* §. *9.*

Qu. LIV. *Cur vero potior in partu est dominus ancillæ, quam genitoris servi?*

℞. Quia mater, dum prægnans est, subtrahitur sæpe servitio domini, redditurque deterior, quin mortis periculo exponitur. Jam vero naturale est, ut quem incommoda sequuntur, is quoque commodorum sit particeps. Puf. §. *9.*

Qu. LV. *An servis aufugere licet?*

℞. Neg. nisi pro alimentis reddant quantum satis est, aut nisi sit immanis domini sævitia Grot. §. *21. n. 2. ibique* Tesm.

Qu.

Qu. LVI. *Quæ sunt imperfectæ servitutes?*

℞. Quæ aut in diem sunt, aut sub conditione aut ad res certas, item ejus qui natus est altero parente conditionis liberæ, altero servilis. Grot. §. *30.* vid. *qu. 49.*

Qu. LVII. *Quæ est publica subjectio?*

℞. Qua se populus seu plures patres fam. qui in unam civitatem coeunt dat in ditionem alicui homini, aut hominibus pluribus, aut alteri populo. Grot. §. *31.*

Qu. LVIII. *Quæ est subjectio ex delictis?*

℞. Hæc nascitur etiam non accedente consensu, quoties, qui *meruit* libertatem amittere, vi redigitur in potestatem, ab eo cui jus est *exigendæ pœnæ*, quo modo & singuli subjectione privata, & populi subjectione publica subjiciuntur Gr. §. *32.*

CAPUT VI.

De

Acquisitione derivativa facto hominis, ubi de alienatione imperii, & rerum Imperii.

Qu.

Qu. I. *Quomodo aliquid nostrum sit acquisitione derivativa?*

FActo hominis aut legis Grot. *II. 6. 1.* De illo hic, de hoc capite sequenti agetur conf. *L. 2. c. 3. qu. 1. & 2.*

Qu. II. *Quomodo facto hominis?*

℟. Quando homines rerum domini, qui liberam habent administrationem, dominium aut totum, aut ex parte in nos transferunt. Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. *§. 40. J. de R. D.* Grot. *§. 1.*

Qu. III. *Quid in dante requiritur, ut dominium transferatur?*

℟. Ut verbis aut aliis signis externis animum suum alteri significet. Actus internus voluntatis non sufficit, nam hic non est idoneus ad communicationem inter homines, quia pectora inspicere nequeunt. Grot. *d. §. 1. ibique* van der Muelen Puf. *IV. 9. 3.*

Qu. IV. An per sola pacta transit dominium, an præter pacta requiritur traditio Jure Naturali?

℞. Etiam traditio requiritur, ut statim actu dominium exerceri possit. Kulpis. *Coll. Grot. h. c. th. 1. & Dissert. Academica 9. §. ult.* Textor. *in Sinops. J. G. c. 8. n. 48. sqq. infr. c. 8. qu. 14.*

Qu. V. *Quid in accipiente requiritur?*

℞. Ut itidem voluntatem accipiendi verbis aut aliis certis signis externis declaret. Quæ voluntas ordinariè *sequitur dationem*, sed potest & præcedere, puta si quis quid dari aut concedi sibi petierat, & dans postea consentiat: censetur enim durare voluntas, nisi mutatio appareat. Grot. *II, 6. 2.*

Qu. VI. *An Imperia ut alia res possunt alienari?*

℞. Si sunt *patrimonialia* ab eo, in cujus sunt patrimonio, sive à rege sive à populo alienari possunt. Si sunt *non patrimonialia* non possunt, sine concurrente populi consensu, ne invito populo alius Rex obtrudatur. Ad modum enim haben-

di

di imperium, ex quo populo jus aliquod competit, pertinet, contradicere, ne ab alio rege contra voluntatem populi regnum administretur. Cæterum moribus magis & populorum Legibus quam generali quodã jure videmus hoc negotium expediri. Grot. §. *3. ibique* Becm. Puf. *VIII. 5. §. 1. & 9.* vid. supr. *L. 1. c. 3. qu. 48.*

Qu. VII. *Si pars sit alienanda, ut provincia, civitas, quid ad ejus alienationem requiritur?*

℞. Præter consensum regis requiritur non solum populi, qui sub pristino rege remanet, sed & maxime consensus *illius partis*, de qua alienanda agitur, quia qui in civitatem coeunt, societatem quandam contrahunt perpetuam & immortalem, quod velint regi uno eodemque imperio, & intra ejusdem civitatis fines degere, quamdiu placuerit. Grot. §. *4.* Kulpis. *b. c. §. 2.* Puf. *d. l. §. 9.*

Qu. VIII. *Attamen membrum corporis humani potest abscindi in conservationem totius corporis, E. & membrum corporis moralis?*

 ℞. Alia

℞. Alia ratio eſt corporis humani, quam corporis moralis. Illius membrum abſciſſum vivere non poteſt ſine corporis vita, indè in uſum ejus poteſt abſcindi; hujus interdum vivere poteſt, propterea jus ejus ex primæva voluntate metiendum eſt, quæ minimè credi debet talis fuiſſe, ut jus eſſet corpori partem & abſcindere à ſe, & alii in ditionem dare. Grot. *d.* §. *4. ibique* Teſm. *lit. a. & c.*

Qu. IX. *An parti jus eſt à corpore diſcedere?*

℞. Neg. niſi evidenter ſe aliter *ſervare non poſſit*, nam in omnibus conventionibus excepta videtur ſumma neceſſitas, quæ facultatem dat ſalutem ſuam quovis modo expediendi, Grot. §. *5.* Puf. *d.* §. *9.*

Qu. X. *Cur majus eſt jus partis ad ſe tuendam, quam corporis in partem?*

℞. Quia corpus demum jus conſequitur in partem propter conſenſum ejus in conſocietatem; partis jus ad ſe tuendum eſt antiquius & à natura, & ei jam ante initam ſocietatem competens, ergo ſi eo

uti

uti velit, id invitæ auferri non poteſt. Grot. §. 6.

Qu. XI. *Quia tamen imperium eſt in corpore ſeu tota civitate, adeoque etiam in hac parte, hinc ut dominium à domino, ita ab imperium habente etiam imperium in hanc partem alienari poſſe videtur?*

℞. Imperium eſt in toto corpore, & ſic etiam in hac parte, ſed non *diviſibiliter* in plures partes, verum *indiviſibiliter* & quamdiu pars manet pars in eadem civitate. Quando vero pars ſeparatur, primævum ſuum jus conſequitur ad ſe ipſam defendendam ex ſua voluntate metiendum, Grot. §. 4. *&* 6.

Qu. XII. *Annon neceſſitas facit, ut pars alienetur?*

℞. Quia parti licet ex neceſſitate *à corpore recedere*, etiam corpori licebit ob ſui conſervationem partem à ſe *abſcindere;* nam jus quod ſingulis membris, ex quibus corpus compoſitum, à natura competit, toti corpori conjunctim negari nequit. Gronov. & van der Muelen §. 6. *b. c.*

Ziegl. *ad* §. 8. Hertius *Opusc. Tom.* 2. *Comment. de Feud. oblat. P.* 2. §. 28. Dissent. Grot. §. 6. & 8.

Qu. XIII. *An pars regni, quæ civibus caret, & mera gleba est, alienari potest?*

℞. Potest à libero populo, vel etiam à rege accedente populi consensu, quia glebæ alienatæ nihil interest cui subjaceat, civium vero interest, ac liberum arbitrium illis competit statuendi de se, cujus corporis esse velint, hinc consentire debent ut alienentur. Grot. §. 7.

Qu. XIV. *An regnum potest alteri in feudum dari?*

℞. Regnum patrimoniale potest, in alio id negandum, quia in infeudatione subest *conditionalis alienatio*, quæ accidere potest vel ex felonia, ubi res in commissum cadit, vel extincta vasalli domo aut familia pro indole pactorum. Quare videmus infeudationes ejusmodi inconsultis populis factas ab ipsis rescissas esse. Grot. §. 9. Hertius *d. l.* §. 27.

Qu. XV.

Qu. XV. *An pignori dari potest pars imperii?*

℟. Non potest ita ut ejus administratio & naturalis possessio sit *penes creditorem*, citra consensum populi, partisque oppignorandæ, non tantum ex ea causa, quod ex pignoris datione sequi soleat alienatio, sed & quia populus regem ultro constituens ab ipso voluit gubernari, non abs quovis alio. Grot. *d.* §. *9*. Puf. *d.* *l.* §. *10*.

Qu. XVI. *An minores functiones civitatis Rex potest jure hereditario concedere?*

℟. Aff. quia ejusmodi concessiones non dissolvunt corpus civitatis, aut communi saluti nocent, sed *Reip. administrationem* spectant, cujus procuratio solius Principis est. Et quamvis regnum sit electitium, regia tamen acta perpetuum producunt effectum, nam *dignitas regia* non debet confundi cum jure regio Muelen *ad* §. *10*. Dissent. Grot. §. *10*.

Qu. XVII. *An patrimonium populi seu bona domanialia Rex alienare potest?*

 ℟. Non

℞. Non nisi populi consensu, ne quidem si res modicum valeat, quia illius fructus destinati sunt ad sustentanda Reip. aut regiæ dignitatis onera. Grot. §. *11.* Brunneman. *Consil. 1.*

Qu. XVIII. *Differuntne hæc bona à fructibus eorum?*

℞. Aff. ista quippe alienare regi vetitum, hi sunt in regis patrimonio & libera ejus dispositione. Sic jus confiscandi est in patrimonio populi, bona confiscata in fructu, jus vectigalia exigendi in patrimonio, pecunia ex vectigalibus proveniens in fructu. Grot. §. *12.* Puf. *VIII. 5. 11.* Aliter van der Muelen. *d.* §. *12.*

Qu. XIX. *An partes patrimonii hujus pignori opponi possunt à Rege inconsulto populo?*

℞. Aff. si oppignoratio fiat ex causa necessitatis & utilitatis publicæ, & Rex solus habeat jus nova tributa imponendi, tunc populus obligatus est ad redimendas partes oppignoratas. Est enim hæc *luitio* pignoris *species* quædam *tributi*, perinde vero est cives contribuant propter publi-

cas

cas necessitates, an pecuniâ post collatâ partem oppignoratam redimant. Grot. §. 13. Textor. *in Synops. J. Gent. c. 30. n. 46. seq.*

Qu. XX. *An testamentum rectè sub alienatione comprehenditur?*

℟. Aff. quia ibi consensu testatoris res sua transit in alium, ut ejus propria sit, non quidem irrevocabiliter sed revocabiliter & sub conditione secutæ mortis. Ut enim acceptatio *in continenti ab herede* fiat, hoc ob qualitatem hujus modi alienandi non requiritur Grot. *h. c.* §. 14. *ibique* van der Muelen. Dissent. Puf. *IV. 10. 2.*

Qu. XXI. *Rectène juri naturæ adscribitur testamenti factio?*

℟. Aff. quia plenum rerum nostrarum dominium adjunctam habet illimitatam facultatem de illis quocunque modo disponendi, non saltem *pure* sed & *sub conditione*, & tam *revocabiliter* quam *irrevocabiliter*, etiam *retenta* interim *possessione* & *plenissimo fruendi jure*. Inde afferri nequit ratio, cur rei possessor vi dominii effectum conferre nequeat in tempus,

quo futurus dominus non est. Quamvis forma testamenti, ut alius actus, â jure civili præscribi possit, exigente utilitate publica. Sicut & juris civilis est, quod alicubi exteris facultas testandi denegata sit. Grot. *d. l. ibique* van der Muelen. Dn. Budd. *Select. Jur. Nat. & Gent. Exerc. de Testam. summ. Princ. cap.* 1. §. 3. *seqq.* Alberti *in Comp. J. nat. P.* 2. *c.* 8. §. 4. & 5. Dissent. Dn. Coccej. *de Testam. Princ. P.* 1. §. 17. *seqq.*

Qu. XXII. *Si imperfectum test. Jure Civ. an ex eo in conscientia obligatur heres ab intestato?*

℞. *Aff.* si certo sibi constet, ita voluisse defunctum, quia in conscientia sola & simplex veritas spectatur Molinä *de J. & J. T.* 2. *Disp.* 81. *n.* 16. Puf. *IV.* 10. 8. Osiand. *Theol. Casu. al. P.* 3. *c.* 5. *qu.* 2. *Neg.* si dubitet de testatoris voluntate, quia sic testamentum, quod obligaret, deficit Dn. Stryk *de Foro Consc. c.* 4. *n.* 13. 44. *seq.* Budd. *d. l.* §. 8. vid. *Disp. nostra de Metu reverent. c.* 5. §. 8. 9. & 10.

CAPUT

CAPUT VII.

De
Acquisitione derivativa, quæ fit per legem; ubi de Successionibus ab intestato.

Qu. I. *Quotuplex est acquisitio derivativa, quæ fit per legem?*

TRiplex, alia fit lege *Naturæ*, alia *Gentium voluntaria*, alia lege *Civili*. De posteriore hic non agitur, quia ex illa controversiæ inter summas potestates non deciduntur, & sæpe est ejusmodi, ut tranquillâ conscientiâ non possideatur, qua de re exemplum proponit Grot. *II. 7, 1.*

Qu. II. *Quotupliciter fit alienatio lege naturæ, quæ ex ipsa dominii natura ac vi sequitur?*

℞. Dupliciter, *Expletione juris*, quoties id quod meum nondum est, sed mihi dari debet, aut loco rei meæ, aut mihi debitæ, cum eam ipsam consequi non possum, aliud tantundem valens accipio ab eo qui rem meam detinet, vel mihi debet. Deinde

inde *Successione ab intestato*, quam deficiente testamento, ne bona domini morte habeantur pro derelictis & cuivis occupanti pateant, Lex iis defert, quibus eam defunctus, si testamentum fecisset, delaturus fuisset, ex ejusdem voluntate præsumta Grot. *II. 7. 2. & 3.*

Qu. III. *An per me ipsum efficere possum, ut mihi satisfiat?*

℞. Aff. ubi *judicia cessant*, vel momentaneè vel continuè, non *ubi vigent*. Grot. §. *2.* ne quidem si jus creditoris certum & tantum ab eo probari non possit, ob summa pericula, quæ in civitate ex hac licentia emergere possent Muelen & Osiand. *ad* §. *2.* Dissent. Grot. *d. l.* quem tamen vide *L. 2. c. 23.* §. *11.*

Qu. IV. *Unde colligitur ista præsumtio voluntatis?*

℞. Ex amore sanguinis, cum ita fere sint animati mortales, ut in sanguine suo mortalitatis solatium quærant, nec cuiquam libentius bona sua, quam propinquis relicta velint. Huber. *de J. Civit. L. 2. S. 6. c. 7. n. 5.* Puf. *IV. 11. 2.*

Qu. V.

Qu. V. *At si successio ab intestato conjecturâ voluntatis nititur, nulla erit ex jure naturæ?*

℞. Objiciunt hoc Felden *ad Gr. h. c. §.3.* & Osiand. *ad d. §. 3.* & hinc ex solo jure naturæ istam derivandam esse statuunt. Verum non opponenda sunt Jus naturæ & præsumta voluntas, sed *conjungenda*, ideo enim quis præsumitur velle, quia & jus naturæ hoc vult. Et hæc successio cum sit ex *ordinata* & hominis sani præsumta voluntate, si quis iniquè liberos, facto fortè testamento, exheredet, Jus naturæ etiam contra ejus voluntatem dat successionem, quæ erat *inordinata* & hominis, qui sua ratione non rectè usus est, adeo ut licet hoc in casu successio sit contra voluntatem inordinatam, non tamen est contra præsumtam voluntatem, si ordinata fuisset. Obrecht. *ad Gr. §.3.* Hertius *ad Puff. d. l. §. 1.*

Qu. VI. *Ad quos omnium primo bona defuncti pervenire æquum est?*

℞. Ad liberos, quia his à se procreatis homini nihil charius est. Gr. §. *5. n. 2.* Puf. *d. l. §. 3.*

Qu. VII. *Quinam liberorum nomine veniunt?*

℟. Omnes primi & ulteriorum graduum descendentes, nepotes & pronepotes, in quibus obtinet *Jus Repræsentationis*. Æquissimum enim est, ut & ipsi cum patruis & avunculis ad hereditatem avi concurrant, ne super luctum ex præmaturo patris obitu, etiam avi hereditate excludantur. Puf. *d. l. §. 6. & 12.*

Qu. VIII. *At ad alimenta liberis danda parentes nequidem obligati sunt?*

℟. Imo obligati sunt, & quidem non saltem *ex honestate*, ut inhumaniter facere videantur parentes, si illa denegent, sed *ex perfecta quadam* obligatione, ex qua liberi, quamdiu ipsi sese alere nequeunt, illa etiam ab invitis parentibus exigere possunt, quia generando sese videntur ultro obstringere, quod, quantum in se, operam dare velint, ut, quam dederunt, vita conservaretur. Tesm. & Hennig. *ad Gr. h. c. §. 4.* Puf. *§. 4.* Dissent. Grot. *§. 4.*

Qu. IX. *Sub nomine alimentorum quæ veniunt?*

℞. Non ſaltem quæ ad *naturalem vitam* conſervandam ſunt neceſſaria, ſed & quæ hominem ad *civilem vitam* reddunt idoneum, ſecundum fortunam parentum & conditionem filiorum. Ziegl. *ad Gr. d. l.* Puf. *d. l.* §. 5.

Qu. X. *An omnibus liberis debentur alimenta?*

℞. Aff. tam legitime natis, quam vulgo quæſitis & ex damnato coitu prognatis, quia naturale eſt debitum alimentorum, & iniquum eſſet, ut ob alienum delictum innocens proles fame periret Grot. §. 4. *n.* 3. Pufend. §. 6. Textor. *in Synopſ. J. G. c.* 4. *n.* 12. *ſeq.*

Qu. XI. *An ſtatuto minui vel tolli poteſt legitima?*

℞. Neg. quatenus ſcilicet in legitima inſunt alimenta neceſſaria, nam quod ſupra eſt tolli poteſt non repugnante natura Grot. §. 4. *n.* 3. *ibique* Ziegl. Dn. Stryk. *de Succ. ab. int. D.* 1. *c.* 1. §. 9.-13.

Qu. XII.

Qu. XII. *An & parentibus alimenta debentur a liberis?*

℞. Aff. ob parentum beneficia & sæpè senilem ac famelicam eorum ætatem vid. *L. 8. §. 5. C. de bon. quæ liber.* Non tamen *æquè ordinarium* est hoc debitum liberorum erga parentes, ac est illud parentum in liberos, quia liberi cum nascuntur nihil secum afferunt, undè vivant, ac diutius vivendum habent quam parentes. Grot. §. 5. *n. 1. ibique* Osiand.

Qu. XIII. *An avi aviæque tenentur ad danda alimenta?*

℞. Aff. parentibus pauperibus aut non existentibus, æquum enim est, ut avus aviaque pro mortuo filio filiaque curam suscipiant nepotum ac neptium. Quare hoc ex pari ratione ad parentes longius remotos extenditur, & ad nepotes ex filiabus nostris, & quoque ad nepotem spurium. Reciprocè vero etiam alendus est avus & avia. Grot. §. 6. *ibique* Tesm.

Qu. XIV. *Præter alimenta an etiam reliqua bona parentum debentur liberis?*

℞. Aff.

℞. Aff. nam creduntur parentes liberis, ut corporis sui partibus, non tantum de necessariis, sed & de his quæ ad *vitam suavius honestiusque* transigendam pertinent, quam uberrimè voluisse prospectum, ab eo maximè tempore, quo ipsi rebus suis frui non possunt, partim ob præcisum debitum naturale, partim ex conjectura naturali, qua parentes creduntur id velle, ut liberis quam optimè prospectum sit. Grot. §. 5. *n.* 2.

Qu. XV. *An ea voluntatis conjectura semper locum habet?*

℞. Aff. nisi in diversum indicia suppetant; ut si filius *abdicetur* vel *exheredetur*. Item si non satis constet, hunc illo esse *genitum*. Præsumta enim voluntas cessat, ubi diversum expressa ostendit. Grot. §. 7. & 8. vid. Horn. *de Civit. L.* 1. *c.* 2. §. 4. *n.* 6. *seqq.*

Qu. XVI. *An sine causa liberi exheredari possunt?*

℞. Neg. sed debet gravis causa esse & ejusmodi, quæ naturalis necessitudinis aut caritatis vincula laxat ac impedit, qua-

les ſunt illæ, ob quas Jure Romano exheredatio eſt permiſſa. *Nov. 115. c. 3.* Vinn. *ad pr. J. de Inoff. teſtam. n. 2.*

Qu. XVII. *Sed aliquem eſſe alterius patrem aut filium unde probatur?*

℞. Præcipuum hic argumentum habentur nuptiæ, quibus & fidem viro dat mulier, quod corpus ſuum nemini, præterquam marito ſit præbitura, ſimulque marito poteſtas conceditur ejus corpus cuſtodiendi. Semper autem præſumitur quemque & fidem datam obſervare, & poteſtate ſua uti. Igitur quilibet eſt velut in *hac poſſesſione*, ut ſit filius ejus, quem nuptiæ ſuæ matris demonſtrant. Grot. §. *8. n. 1. ibique* Teſm. *lit. f. & h.* Puf. *IV, 11. 10.*

Qu. XVIII. *An neceſſe eſt ut omnes liberi æqualiter ſuccedant in bona parentum?*

℞. Non, nam (1) uni atque alteri præ cæteris eximii quid aſſignare poteſt pater, ob *ſingularia merita*, aut peculiarem ſpem, vel etiam ob peculiarem affectum. Ratio etiam haberi poteſt *familiæ*, ut illa de-

deinceps splendorem suum & firmitatem retineat, quæ sæpè detrimentum patitur ex æquali bonorum divisione (2) non solum leges civiles sed & naturales magis favent liberis *legitimis* quam naturalibus. Nam qui præter patris intentionem per vagam libidinem provenerunt, nullo modo comparari possunt cum his qui procreati sunt ad familiam propagandam. Puf. *§. 8. & 9.* Hub. *de J. Civ. L. 2. S. 6. c. 7. §. 13. seq.* (3) si liberi sunt morganatici, ultra assignatam portionem ex pacto parentum â reliqua patris hæreditate excluduntur. Grot. *§. 8. n. 3.* Coccej. *Diss. de Lege Morganatica Sect. 6. & 7.* conf. *supr. L. 2. c. 5. q. 28. sqq.*

Qu. XIX. *Annon tamen pater in testamento liberis morganaticis quid amplius relinquere potest, quam pacto provisum est?*

℞. Aff. ex illis scilicet bonis de quibus liberam testandi licentiam habet, cum & extraneis talia relinquere possit, multo magis justæ soboli.

Qu. XX. *Ubi descendentes deficiunt quinam succedunt?*

 ℞. Par

℟. Par est, eo in casu ad *parentes* defunctorum liberorum bona devolvi, ob acceptorum beneficiorum memoriam & necessitudinem arctissimam. Quibus liberi & parentes non sunt superstites, iis *fratres & sorores* succedunt, horumque liberi per repræsentationem, ut commendationi naturæ, quia ex iisdem parentibus genus nobiscum ducunt, satisfaciamus. Ubi & hi deficiunt, hæres erit qui defuncto *carissimus* fuit, qualis semper is præsumitur qui illum *sanguine propius* contingit. Grot. §. *9. & 10.* Puf. §. *13. 14. & 17.*

Qu. XXI. *Quid si sint quos defunctus magis amavit quam suos, an in successione sunt cognatis præferendi?*

℟. Neg. quia *singularis* ejusmodi *affectus* non adeò attenditur, ac *communis mortalium inclinatio*, quam erga cognationem, quæ est in cognatis, habent, ad cujus conservationem & splendorem augendum omnes communi voto feruntur. Et difficile imò impossibile foret, medium

um decidendi hic invenire quia non ut consanguinitatis, ita & amicitiæ certi dantur gradus proximitatis. Quod si vero quis omninò amicos cognatis præferre velit, de eo *expresse disponere* debet. Pufend. §. *2. & 15.* Thomas. *Jpr. Div. L. 2. c. 10.* §. *181. seqq.* Boecl. *ad Grot. p. 266. seq.*

Qu. XXII. *An quæ dicta sunt de naturali conjectura, ita sunt necessaria J. N. ut mutari non possint?*

℞. Neg. sed ex diversis causis humanam voluntatem moventibus possunt variari pactis, legibus, moribus. Grot. §. *11.*

Qu. XXIII. *Quid tenendum, si non sint expressa voluntatis indicia circa successionem in bona post mortem?*

℞. Credendum quemque id de sua successione statuisse, quod statuit Lex, aut mos populi habet, non tantum ex vi imperii, sed & ex conjectura. Grot. *d.* §. *11.* §. *2. ibique* Gronov.

Qu. XXIV. *An idem de summum imperium tenentibus dicendum?*

 ℞. Aff.

℞. Aff. nam & hi probabiliter creduntur in rebus suis æquissimum judicasse, quod aut legibus sanxerunt ipsi, aut moribus probant in iis rebus in quibus de nullo ipsorum damno agitur, & in quibus materia & ratio legis ipsis est communis cum subditis. Grot. *d. n. 2.* Huber. *de J. Civ. L. 1. S. 7. c. 6. n. 22. seqq.*

Qu. XXV. *An ergo successio in regna nullam singularem considerationem habet?*

℞. Imo habet, quia hæc successio non ex utilitate privatorum æstimatur, sed *publica.* Unde saltem ea, quæ in successionibus privatorum naturalem habent æstimationem & æquitatem, huc, quantum fieri potest, trahuntur & applicantur.

Qu. XXVI. *Quid est regnum successivum & quotuplex?*

℞. Regnum *successivum* est, quod ea lege in alterum collatum est, ut citra novam intervenientem electionem in alios per successionem transeat. Dividitur, in patrimoniale in quo *arbitrio ipsius regis*, & non patrimoniale in quo *arbitrio* po-

populi Jus ſucceſſionis conſtituitur. Grot. §. *12.* & *14.* Budd, *El. Phil. Pract. P. 2. c. 4. S. 13. §. 38.*

Qu. XXVII. *Quomodo ſucceſſio in regno patrimoniali inſtituitur?*

℞. In *teſtamento* Rex ſuper ea pro lubitu diſponere & regnum quoque inter plures liberos dividere poteſt, etiam filiabus non excluſis; vel etiam heredem inſtituere filium adoptivum, Budd. *Sel. J. N. & G. Exerc. ult. §. 116. ſeq.* naturalem & quemcunque extraneum, ita ut hoc caſu locus non ſit querelæ inofficioſæ voluntatis. *Ab inteſtato* ex Regis præſumta voluntate regnum devolvitur, qui voluiſſe præſumitur ut (1) liberis cedat ob communem hominum affectum. (2) ut maneat indiviſum, quia diviſio cum regni & familiæ regiæ divulſione ſolet eſſe conjuncta. (3) ut Monarchica forma poſt regem conſervetur (4) inter pares gradu mas præferatur fœminæ, primogenitus deinceps genitis. (5) ut liberis deficientibus ad proximum quemque ſanguine regnum devolvatur. Grot. §. *12.*

ibique Tesm. Huber. *d. l.* §. *10. seq.* Puf. *VII. 7. 11.* Budd. *d. Tr. Exerc. de Testam. summ. Princ. c. 1.* §. *27. seqq.*

Qu. XXVIII. *Cum vero primogenitura inter liberos tollat æqualitatem, quid secundo genitis debetur?*

℞. Illis primogenitus portionem quandam ad vitam dignè gerendam assignare debet ex bonis regni, quæ communiter dici solet *Apanagium*, & ipsi tales Principes vocantur *Apanagiati*, qui tamen successione non penitus excluduntur, sed illa saltem per primogenitum in suspenso manet. vid. Springsfeld *de Apanagio.* Schilter. *de Parag. & Apanagio.* Aliter. Grot. §. *13. in f. ubi vid.* Bœcl.

Qu. XXIX. *Quomodo instituitur successio in regno non patrimoniali?*

℞. Hic successionis ordo originariè ab ejusdem populi voluntate dependet, cujus ultroneo consensu ab initio regnum constitutum est. Is autem vel *Regi* concessit jus successorem constituendi, quo casu obtinent, quæ modo dicta sunt. *qu. 27.* vel id jus sibi ipsi *reservavit populus*, & tunc,

tunc, quando regnum in electum Regem jure hereditario collatum voluit, ordinem ſuccedendi vel *ſimplicibus hereditatibus* conſimilem, quantum ſalus regni admittit, effecit, vel *peculiari ratione* ipſum temperavit. Grot. §. *14*. Puf. *d. l.* §. *12*.

Qu. XXX. *Ubi ſucceſſio ſimpliciter hereditaria in regnis, an plane eodem modo fit, quo in privatam hereditatem?*

℞. Neg. ſed ut ab hac pauliſper diſcedat ſucceſſio in regnis talibus, ſalus civitatum requirit. In ſpecie (1) ut regnum ſit individuum inter plures fratres aut heredes, eodem gradu à defuncto diſtantes (2) ut ſucceſſio ſtet inter eos, qui à primo rege deſcendunt neque ad gradum tranſverſum, multo minus ad affines tranſitus fiat (3) ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundum patriæ leges. Ergo nothi excluduntur, ut & adoptivi, nam illi ad contemptum patent, in regnis autem quam maxime expedit, perſonam regis eſſe venerabilem; hi non ſunt de naturali regis

 ſtirpe,

ſtirpe, in quam populus regnum contulit, qua deficiente ad ſe voluit redire facultatem de ſucceſſore diſponendi, quæ, admiſſa adoptione, quæ quidem jus ad regnum daret, in perpetuum poſſet eludi (4) Ut in pari gradu mares præferantur fœminis, etiam natu majoribus, ob prærogativam ſexus, quæ eſt perpetua (5) ut inter mares & ubi hi deficiunt inter fœminas in pari gradu maximus natu præferatur (6) ut ſucceſſor regnum agnoſcat, tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris. Grot. §. *14*--*18*. Pufend. *d. l.* §. *12*.

Qu. XXXI. *Quo jure Primogenitura nititur?*

℞. Non *præcipiente quadam naturæ lege*, quia gentes, quæ aliam ſuccedendi rationem ſequuntur, naturæ legem violarent, ſed *ea permittente*, quandoquidem civitati expedit, ut primogenitus præferatur, ne ſi plures ſucceſſionem ſibi vindicare poſſent, illi inidonei fiant, potentiorum auſis obviam eundi, vel inter illos de prærogativa ſucceſſionis diſſidium oria-

oriatur. Budd. *Select. J. N. & Gent. Exerc. de Success. Primogenit. §. 19. seqq.* Aliter Horn. *de Civit. L. 2. c. 9. §. 15.* cui resp. Budd. *d. l. §. 18.*

Qu. XXXII. *Quid si minor natu capacior regnique artibus instructior natu majore?*

℞. Res periculi plena est, ob apparentes quasdam animi dotes, quæ *fallaces* esse possunt, eripere alicui jus quæsitum. Si tamen ob mentis aut corporis vitium quis planè ad imperandum ineptus sit, primogenitus non succedit, quia ex populi consensu electus ut idoneus & pollens judicio, sed deinceps genitus, salva tamen sexus primum deinde ætatis prærogativa inter capaces. Grot. §. *18. n. 2. ibique* Tesm. *lit. a.* Hertius *in Opusc. Tom. 2. de Spec. Rom. Germ. Imp. Rebuspubl. Sect. 2. §. 9.*

Qu. XXXIII. *An regnum non patrimoniale, est pars hereditatis?*

℞. Verius est, esse *hereditatem quandam*, quia est legitima in locum alterius defuncti successio, & successor Principis non malè vocatur Heres regni, solii, sce-

ptri,

ptri, sed *separatam* ab aliorum bonorum hereditate, ita ut in his non cogatur simul succedere, & eorum onera ferre, nec ab illa successione ob omnes causas excludi, ob quas ab his excluditur, quia populus regnum voluisse creditur, quam optimo jure deferri, ut quatenus unicè civitati expedit, in illud succedatur. Grot. §. *19*. Puffend. *VII. 7. 12.* Dissent. van der Muelen *ad. Gr. d.* §. *19.*

Qu. XXXIV. *Quæ vero ratio, cur in regnum non vulgari jure succedatur, sed ex voluntate populi?*

℟. Variæ sunt. *Prima* est, ut regnum adiens certi quid habeat, non ejusmodi, quod instar vulgarium hereditatum distrahi possit a creditoribus, & transferri invito populo de persona in personam. *Secunda* ut reverentia conciliaretur ex sanguine. Patet enim, amorem & reverentiam comitari solere sobolem magnorum virorum, quod regi decorum & civitati perquam utile. *Tertia* ut ex genere & educatione simul spes esset præclaræ virtutis, quia in successoribus regiis

accu-

accuratior educatio adhiberi solet. *Quarta* ut regni possessor regnum magis curaret, animosiusque defenderet, si id ipsum iis esset relicturus, quos ipse ob charitatem maximi faceret. Grot. *d.* §. *19. ibique* Tesm. *lit. m.*

Qu. XXXV. *Si regnum primitus datum sit in feudum ab eo, qui plenè dominus erat, qualis Lex est sequenda in Successione?*

℞. Lex feudalis, quæ recepta fuit tempore quo prima data est investitura, non illa Longobardica, quam perscriptam habemus, quia uti origo feudorum non potest uni Genti adscribi, ita etiam non potest ab una Jus feudale peti. Grot. §. *21.* Anton. *disp. feud. 1. th. 1.*

Qu. XXXVI. *Estne alia adhuc successio in regnis non hereditaria?*

℞. Est quæ *Linealis* dicitur, & multis gentibus placuit eam hereditariæ præferre, quia in hac facile inexplicabiles lites oriri poterant, uter ex familia regnatrice nuper defunctum proxima cognatione attingeret, ubi ab autore stirpis longius dis-

discessum fuit. Hennig. *ad* §. *22.* Puf. §. *13.*

Qu. XXXVII. *In quo consistit hæc linealis successio?*

℞. Consistit in eo, ut omnes qui ab autore stirpis regnatricis descendunt, velut lineam perpendicularem constituant, ita ut eorum quilibet regno propior sit, prout quisque in eodem gradu sexus, deinde ætatis prærogativa potior est. Nec prius ad aliam lineam regnum devolvitur, quam omnes ex priore linea defecerint. Si ultimo possessori desint liberi, ab ipso incipiendo, non recurrendo ad autorem stirpis, itur ad lineam proximam, & sic deinceps, ita ut ob sexum aut ætatem nunquam transeatur de linea in lineam. Grot. §. *22. ibique* Ziegl. Puf. *VII. 7. 13.*

Qu. XXXVIII. *Quotnam species sunt hujus successionis?*

℞. Duæ sunt usitatissimæ (1) *Cognatica*, in qua fœminæ non excluduntur, sed postponuntur maribus in eadem linea, ita ut etiam ad ipsas fiat regressus, si mares potiori aut pari gradu defecerint, cujus fun-

fundamentum eſt ſpes populorum de optima educatione eorum, qui ſpem regni habent juſtam.

Dicitur *Caſtiliana*, quia in regno Caſtiliæ locum habuit & hodie in Regnis Angliæ, Sueciæ, Daniæ, Hiſpaniæ & Portugalliæ obtinet, ſub limitatione, ut fœminæ indigenis nubant non exteris.

(2) *Agnatica*, quæ fœminas & ex hiſce natos mares in perpetuum excludit, ne per fœminarum matrimonia regnum unquam in peregrinorum manus veniat.

Vocatur etiam *Francica*, quæ in Gallia locum habet, ubi fœminæ â regno planè excluduntur vi legis *Salicæ*, de qua vid. Conring. *de Orig. Jur. Germ. c. 7.* Dn. Coccej. *Orat. de Lege Salica.* In hac tamen ſucceſsione deficientibus agnatis ſubſtituuntur interdum cognati jure liberæ electionis, ut extranei â ſucceſsione regni excludantur. Grot. §. *22. & 23.* Puf. *d. §. 13.* Becm. *Conſpect. Pol. c. 9. p. 51. ſeq.*

Qu. XXXIX. *Poſſuntne alii ſucceſsionum modi introduci?*

℟. Aff. & quidem populi voluntate, aut

aut ejus qui regnum ita habet in patrimonio, ut id alienare possit. Exemplum in *Majoratu*, quo ad successionem vocatur, qui in tota alicujus familia post mortem possessoris natu major seu senior reperitur. Cujus rationem reddunt: ne regna vel alia bona unquam sub tutela sint. Grot. §. *22.* §. *1. in f.* & . §. *24.* Puf. *d. l.* §. *14.* Itter. *de. feud. Imp. cap. 12.* §. *7.*

Qu. XL. *An filius à patre exheredari potest, ne in regnum succedat?*

℟. In regnis *patrimonialibus* exheredari potest, ne quod jure naturæ privatis concessum, dicatur regibus ademptum. Debet tamen ejusmodi exheredatio *expressis verbis* fieri, nam tacitè, si grave aliquid in patrem admissum & non condonatum sit, non exheredatus erit. Sicut & à regno exclusus, non erit à reliqua hereditate exclusus, aut viceversa, quia regnum & hæc bona extra liberam dispositionem à se se invicem sunt distincta. In *non patrimonialibus* exheredari nequit, nisi aliquid contra civitatis publicam salutem moliatur, & fiat ex-

exheredatio populi consensu. Grot. §. 25. *ibique* van der Muelen & Tesm. Budd. *d. c. 1.* §. *39. seqq.* Dissent. Dn. Coccej. *de Instit. Bell. & Pac. in statu regni Portugall. fund. art. 1. qu. 4. & de Test. Princ. P. 2.* §. *12.*

Qu. XLI. *An abdicari potest regnum seu jus succedendi in regnum?*

℞. Jus naturæ de abdicandi ratione nihil disponit aut præcipit, sed saltem abdicandi facultatem permittit, quæ prudentiâ velut duce dirigi debet. Hinc si fiat abdicatio ex *gravi causâ*, puta senectute, perpetuâ corporis imbecillitate, regni necessitate &c. *pro rege abdicante* subsistit, quia regendi munus in aliquem collatum, est beneficii instar, cui quilibet renunciare potest. Si non fiat ex tali causa, sed *ex amore quietis, aut timore periculorum incumbentium aliave simili*, sine injuria in Rempubl. non erit, quia in primordio collati imperii ut populus subjectionem, ita Rex regni administrationem promisit, à qua promissione & inde secuta obligatione non magis se rex sub-

trahere poteſt ac populus ab illa. Niſi abdicatio fiat cum *conſenſu populi*, aut Rex throno cedens alio *idoneo ſucceſſore*, aliisque remediis Reip. conſulat, ne detrimentoſa appareat ejusmodi reſignatio. Grot. §. *26. ibique* Teſm. Schurtzfleiſch. *in Oper. Hiſt. Pol. Tr. de Abdicat. Princip.* *71. th. 5. & 6.* Fritſch. *Opuſc. var. Tr. 44. c. 1. & 2.*

Qu. XLII. *An pro liberis abdicari poteſt?*

℞. Hoc magis controverſum eſt, quia factum cuique ſuum non aliis nocere debet. Diſtinguendum tamen inter regna patrimonialia & non patrimonialia. In illis pater ſua abdicatione liberis nocere poteſt, non in his, quia ſimul atque exiſtere cœperunt, *jus proprium* eis quæſitum eſt ex populi conſenſu, ut nec naſciturìs pater nocere poſſit, quia impedire nequit, quin ad illos quoque ſuo tempore jus pertineat. Niſi populi conſenſus accedat, nam hoc interveniente jus quærendum naſcituris auferri poteſt. Grot. *d. §. 26. & L. 2. c. 4. §. 10.* Fritſch. *d. l. c. 1. n. 23. ſeqq.*

Qu.

Qu. XLIII. *Sed an hoc ipso quo se rex abdicavit sit subjectus?*

℞. Aff. quia non est in civitate medium inter imperantes & subjectos. Et si quis pactus sit independentiam, respectu eorum, à quibus id est pactus, vim quidem suam habebit, non vero extra fines regni, in quo ejusmodi pactum intercessit. Justin. *XVI. 2. in f.* Huber. *de Jure Civit. L. 1. S. 9. c. 6. n. 18. seqq.*

Qu. XLIV. *Si controversia super successione oriatur, quis judex?*

℞. Neque Rex neque populus judicare potest judicio Jurisdictionis, quæ non est, nisi apud superiorem. Causa enim successionis seu controversia de successione ad jura summi imperii non pertinet, sed ad modum habendi imperium, qui ex primæva patrumfam. voluntate, quando in civitatem coiverunt, & ubi nulla adhuc regiminis forma fuit constituta, est æstimandus, seu mansit in statu naturali, in quo alter alteri non paret aut imperat. *Populus* judicare non potest, quia omnem Jurisdictionem in regem &

ejus familiam transtulit. Ut vero ad arma statim decurratur, propter causam nondum liquidam, etiam lex naturæ non permittit. Indè optimum est, ut qui jus vindicant, ad *arbitros* provocent. Grot. §. 27. Puf. *VII. 7. 15. ibique* Hertius ubi resp. dissentienti Gronov.

Qu. XLV. *Quid si de primæva populi voluntate quæstio incidat?*

℞. Consulendus est populus, qui *nunc est*, nam idem cum eo, qui olim fuit, censetur, ejusque sententiam arbitri sequantur, à quâ non aliter recedendum, quam satis certo constet olim aliam fuisse populi voluntatem, & ex ea jus quæsitum. Grot. §. 27. *n.* 2.

Qu. XLVI. *An filius ante regni adeptionem natus in regno individuo præferendus nato in fortuna regia?*

℞. Aff. quia populus regnum Regi & suæ familiæ detulit, sub qua sine dubio talis filius intelligitur. Deinde si nullus alius filius superesset, ille omnino succederet. Ergo nativitas secundogeniti

ipsi

ipsi non potest auferre id, quod populi dono & patris sui consensu est consecutus. Grot. §.*28.ibique* Tesm. Horn. *L. 2. c.9. §. 16. ibique not.* Becm. *Consp. Pol. c. 9. p. 50.*

Qu. XLVII. *An nepos ex filio priore præfertur filio posteriori?*

℞. Aff. in *Lineali successione*, quia mortui pro vivis habentur in hoc, ut in liberos transmittant. In *hereditariis dividuis* ubi jus repræsentationis obtinet, concurrent in partes; in *hereditariis individuis* nepos ex præsumta populi & regis voluntate præfertur, & ut natu major filius cæteros omnes natu minores excludit, ita stirps natu majoris stirpem natu minoris excludit, Grot. §.*30.* Hottoman. *quæst. illustr.3.*

Qu. XLVIII. *An defuncti fratris filius aut filia, præferendus regis patruo?*

℞. Aff. & in lineali successione & in hereditaria, ubi subitio in locum mortui observatur. Ubi verò ordo nascendi, ibi

vincit, qui sexu aut ætate est potior. Grot. *§.32. seqq.* ubi plura exempla.

CAPUT VIII.

De Acquisitionibus quæ vulgo dicuntur Juris Gentium.

Qu. I. *An modi acquirendi dominium, qui à JCtis Romanis Juris Gentium esse dicuntur, propriè eo reduci possunt?*

GRotius *h.c.* §. *1.* aliter, & plurimos referendos putat ad Jus naturæ, reliquos ad Jus civile, non Populi Romani, sed multarum circa nationum. Verum hoc dissidium componi posse, si Jus Gentium latè & pro jure naturæ, ut fit in multis Juris Romani textibus *§. 11. & 41. J. de R. D. L. 1. ff. de A. R. D.* accipiatur, & promiscuè tam Jus naturale quam Gentium dicatur, quod naturali ratione inter omnes homines constitutum est, sique non semper ad subtilitatem disputandi philosophicam respiciatur, sed ad usum vitæ

&

& judiciorum civilem, docet Kulpiſ. *Coll. Grot. h. c.* Add. Grot. *h. c.* §. *ult.*

Qu. II. *Quot hoc ſenſu latiori Juris ſunt modi acquirendi dominium?*

℟. Tres, *Occupatio*, *Acceſſio* & *Traditio*, ſed occupatio magis ad originarios quam derivativos modos pertinet. Dn. Vitriar. *Inſt. J. N. & G. h. c. qu.* 2. Kulpiſ. *Diſſert. Academ.* 9. §. 13. *ſeqq.*

Qu. III. *Quot dantur ſpecies Occupationis?*

℟. Tres, *Venatio*, *Inventio* & *Captivitas* in bello §. 12. 18. & 19. *J. de R. D.*

Qu. IV. *Quæ res acquiruntur venatione?*

℟. Venatione *latius accepta* acquiruntur feræ, aves & piſces, quamdiu relicti in naturali libertate, quales etiam ſunt piſces qui in ſtagno, & feræ quæ in ſylvis circumſeptis vagantur. *L.* 3. §. 14. *ff. de A. vel A. P.* Ziegl. Hennig. & Obrecht *ad Gr. h. c.* §. Diſſent. Grot. *d.* §. 2.

Qu. V. *Ut fera ita alicui acquiratur quid requiritur?*

℞. Ut corporalis ejus possessio sit acquisita manibus nostris vel aliis instrumentis v. gr. decipulis, retibus, laqueis, dum duo adsint: primum ut ipsa Instrumenta sint in nostra potestate, deinde ut fera ita sit inclusa, ut exire inde nequeat. Unde sequitur ad acquirendam feram non sufficere, quod vulnerata sit, sed illa adhuc primo occupanti cedit, quia non spe sed occupatione dominium acquiritur. *L. 5. §. 1. & L. 55. ff. d. A. R. D.* Grot. *§. 3. inf. & §. 4.* Franzk. *ad §. 13. J. de R. D.* Aliter Puf. *IV. 6. 10.*

Qu. VI. *Quamdiu feræ bestiæ à nobis occupatæ nostræ esse censentur?*

℞. Quamdiu sunt in nostra custodia & in naturalem libertatem se non receperunt, Nostræ enim esse desinunt, quando *custodiam* nostram evaserunt, & difficilis est earum persecutio, ob quam ex probabili conjectura eas pro derelictis habere credimur, præsertim cum internosci, quæ nostræ fuerint, ab aliis non possint. Grot. *h. c. §. 3. ibique* Tesm. *lit. b.*

Qu. VII.

Qu. VII. *An hæc conjectura semper certa?*

℞. Neg. sed elidi potest per addita crepundia ad significandum animum dominii retinendi. Talis enim fera evadens & ab alio occupata priori domino est restituenda. Grot. *d.* §. *3. ibique* Obrecht. Puf. *d. l.* §. *12.*

Qu. VIII. *Quæ res acquiruntur inventione?*

℞. Omnes aliæ res hero carentes, ut lapilli, gemmæ in littore maris, quæ ex naturali ratione cedunt inventori, item thesaurus. Nisi de his sit aliter per leges civiles dispositum, quod fieri potest in naturalibus non imperatis, sed ita comparatis, ut arbitrium servandi & mutandi hominibus sit relictum. Grot. §. *5. 6. &* *7.*

Qu. IX. *An in locis ubi inventori relinquitur thesaurus is inventum publicè indicare debet ad probandum conscientiæ inventionis titulum?*

℞. Distingv. an in *solo proprio*, an in *alieno* inventus sit thesaurus. *Ibi* eum indicare non debet, sed potest tantisper

retinere, quoad alius ultro inquirat, quia non præsumendum, occasionem vindicandi pecuniam absconditam omisisse abscondentem, ubi probabilis metus erat, ne in alterius manus ea perveniret. *Hic* indicare debet, quia potuit à Domino, vel eo conscio ab alio pecunia saltem custodiæ causa eo loci recondita esse. Pufend. *IV. 6. 13.*

Qu. X. *An occupatio per inventionem fieri potest oculis?*

℞. Neg. quia possessionis initium est corporis ad corpus adjunctio, & maximè circa res mobiles fit manibus, circa res soli pedibus. Sic Acanthos insula deserta adjudicata Chalcidensibus, qui priores intraverant, non Andriis, qui priores jaculum immiserant. Grot. *§. 6. ibique* Becman. Ærod. *Rer. judic. L. 5. tit. 21. c. 1.*

Qu. XI. *Quæ res acquiruntur captivitate in bello?*

℞. Res hostium, quæ apud omnes gentes habentur pro rebus nullius, & sic fiunt capientium. *§. 17. J. de R. D.* Grot. *III. 6. 8. & 9.*

Qu. XII.

Qu. XII. *Cui acquiritur per accessionem?*

℟. Accessiones duum generum sunt. Quædam *citra factum hominis* ex sola natura rerum nostrarum proveniunt: quædam *facto & industria hominum* in solidum aut ex parte procurantur. Circa istas regula generalis est: *Ut qui est dominus rei, ad eum quoque pertineant istius accessiones*, quia accessorium sequitur suum principale. *§. 19. seqq. J. de R. D.*

Qu. XIII. *Declaretur hoc exemplis?*

℟. Prioris generis exemplum est I. in *insula* in flumine nata, quæ ad eum pertinet, cujus flumen est. II. in *partu animantium*, qui ventris seu matris dominum sequitur. vid. Huber. *L. 2. S. 4. c. 5. n. 14. seqq.* Posterioris (1) in *Specificatione*, ubi nova species ex aliena materia facta cedit specificanti, si ad priorem rudem materiam reduci non possit, si vero possit, domino materiæ (2) in *ædificatione, implantatione*, nam quod in alieno solo ædificatum vel implantatum, cedit soli domino. Plura exempla occurrunt

in

in *tit. J. de R. D.* §. *19. seqq.* & ap. Grot. *h. c.* §. *8. seqq.* Pufend. *IV. 7.*

Qu. XIV. *Cujus juris est modus acquirendi, qui fit per traditionem?*

℞. Est naturalis per rationem §. *40. J. de R. D.* ac ad acquirendum dominium naturaliter ea requiritur, quia hoc consistit in jure rebus fruendi, easque nobis applicandi, quod fieri non potest, nisi res, qua frui volumus, conjungatur cum persona fruentis, & corpus applicandum sit præsens illi, qui est applicaturus. Hertius *Tom. 3. Opusc. de Convent. dominii translat.* §. *15.* Felden. *ad Gr. h. c.* §. *28.* vid. *supr. cap. 6. qu. 4.*

Qu. XV. *Sed tamen in multis casibus dominia transeunt sine traditione?*

℞. Transeunt in hereditatibus, legatis, donatis Ecclesiæ & piis locis aut civitatibus &c. Verum in his casibus vel subest ficta traditio vel dominium nudè consideratur ut qualitas moralis. Hertius *d. l.* Dissent. Grot. *h. c.* §. *25.* & *L. 2. c. 6.* §. *1.*

CA-

CAPUT IX.

Quando imperia vel dominia desinant.

Qu. I. *Quid de fatalibus periodis Rerumpublicarum habendum?*

SUnt, præterquam quod a divina providentia contingant, Daniel. *IV*, *14.* & *V*, *21.* consuetus rerum humanarum decursus à labore & industria ad fortitudinem, ab hac ad florem & potentiam, hinc ad autoritatem. Ab hac itur ad luxuriam, à luxuria in desidiam, ab hac in contemptum, & hinc ad mutationem vel interitum. Zentgrav. *in Summa J. Div. in Coron.* §. *16.* & *17.* Hennig. *ad Gr. L. 2. c. 4.* §. *14. p. 426.* Olizarov. *de Polit. homin. societ. L. 3. c. 10.* Klenck. *Diss. de Civit. mutat. P. 2.*

Qu. II. *Quot modis dominia vel imperia desinunt aut intereunt?*

℞. Variis, inprimis vero *voluntaria derelictione*, vel *necessaria cessatione*, sublato scilicet subjecto, cui illa insunt, utpote persona una, aut familia, aut integro populo. Nisi inter vivos vel ultima

vo-

voluntate de successore dispositum. Grot. *II, 9. 1. ibique* van der Muelen Huber. *de J. Civ. L. 1. S. 9. c. 6. n. 22. seq.*

Qu. III. *Rege sine omni successore mortuo an penitus regnum dissolvitur?*

℞. Neg. sed imperium Regis saltem, seu illud vinculum solvitur, quo cum rege connexi sunt cives, reciditque civitas ad imperfectam formam seu *Interregnum*. Ex primævo tamen civitatis pacto illi inter se connectuntur, & obligantur, ut ultro tantisper pacem inter se colant, & quantocyus ad plenum imperium restaurandum incumbant. Liv. *I. 7.* Pufend. *VII. 7. 7. & VIII. 11. 1. & Differt. de Interregn. §. 12. vid. supr. L. 1. c. 3. qu. 23.*

Qu. IV. *At quomodo totus populus interire potest, cum civitates dicantur immortales?*

℞. Civitates dicuntur immortales *relative* ad corpora naturalia, quod non pereant uno licet vel altero cive mortuo, quia in illius locum momentaneè alius adjicitur per allectionem vel nativitatem,

cem. Non ita *absolute* dicuntur, nam interire possunt sublata vitæ civilis consociatione plena atque perfecta, seu rupto illo vinculo, per quod respubl. cohæret. Grot. §. *3*. Puf. *VIII. 12. 7*.

Qu. V. *Unde oritur mos loquendi, ut populum qui nunc est alloquentes ei tribuamus, quæ eidem populo ante multa secula acciderunt?*

℞. Ex illo momentaneæ restitutionis principio & spiritu communi politico & vitali, quem tot millia trahunt. Grot. §. *3. n. 2*.

Qu. VI. *Quot modis accidit interire totum populum?*

℞. Duobus (1) interitu *materiæ* sive *corporis*, sublatis nempe simul ejus partibus necessariis, vel sublata corporis ratione (2) interitu *formæ* seu *speciei* sublata aut omni aut perfecta juris communitate, quod iis contingit, qui singuli subire coguntur personalem servitutem, aut ejiciuntur tantum imperio, quique rediguntur in provinciæ formam, Grot. §. *3. n. 3. inf.*

inf. §. 4. 5. & 6. Puf. *VIII.* 12. 8. & 9. Klenck. *d. differt.* P. 1. §. 1. & 2.

Qu. VII. *Si ex ejusmodi clade tam pauci superfuerint, ut populum facere nequeant, an jura antiqui populi retinent?*

℞. Putat Grot. §. 3. *in f.* retinere tales jura singulorum seu privatorum v. gr. dominium, non jura civitatis, ut summum imperium & quæ inde dependent. Verum si pauci *se tueri* possunt, contra vim externam, etiam jura prioris populi sibi asserere possunt, donec iterum in justi populi numerum allectis aliis sese suppleverint, cum nondum sit *definitum*, quot patresfam. ad constituendum populum requirantur. Puf. *d.* §. 8.

Qu. VIII. *Quid si populus loco migraverit, an manet civitas?*

℞. Aff. si species seu consociatio manet, ubicunque ille vel ob inediam aut alia mala, vel coactus migret, nam locus & ædificia non constituunt civitatem; sed

ſed cives. Grot. §. 7. Bœcl. *Diſſ. de eo quod civ. egit. p. 32. ſeqq.*

Qu. IX. *Si muri devictæ civitatis disjecti?*

℞. Civitas eadem manet, quippe & ſine muris, propugnaculisque libera & ſui juris eſſe poteſt civitas. Imo multæ ſunt civitates, quæ plane muros non habent. Grot. §. 7. *ibique* Teſm.

Qu. X. *An mutata regiminis forma eadem manet civitas?*

℞. Aff. quia *eſſentialis* forma ſive ordo imperandi in genere conſervat civitatem, non *accidentalis*, quæ à ſubjecto exiſtentiæ ſumitur & ſæpe mutari poteſt. Hinc idem Populus Romanus ſub regibus, conſulibus, imperatoribus. Grot. §. 8. *n.* 1. Bœcl. *d. l. p.* 5. *&* *p.* 41. *ſeqq.*

Qu. XI. *Quid ſi pleniſſimo jure regeretur civitas, ſeu ex ſumma libertate in ſervitutem civilem præcipitetur?*

℞. Nihilominus quædam civitas manet, quippe num per plura civitatis membra regatur, an per præſtantiſſimum

inf. §. 4. 5. & 6. Puf. *VIII.* 12. 8. & 9. Klenck. *d. differt. P.* 1. §. 1. & 2.

Qu. VII. *Si ex ejusmodi clade tam pauci superfuerint, ut populum facere nequeant, an jura antiqui populi retinent?*

℞. Putat Grot. §. 3. *in f.* retinere tales jura singulorum seu privatorum v. gr. dominium, non jura civitatis, ut summum imperium & quæ inde dependent. Verum si pauci *se tueri* possunt, contra vim externam, etiam jura prioris populi sibi asserere possunt, donec iterum in justi populi numerum allectis aliis sese suppleverint, cum nondum sit *definitum*, quot patresfam. ad constituendum populum requirantur. Puf. *d.* §. 8.

Qu. VIII. *Quid si populus loco migraverit, an manet civitas?*

℞. Aff. si species seu consociatio manet, ubicunque ille vel ob inediam aut alia mala, vel coactus migret, nam locus & ædificia non constituunt civitatem, sed

sed cives. Grot. §. 7. Bœcl. *Diss. de eo quod civ. egit. p. 32. seqq.*

Qu. IX. *Si muri devictæ civitatis disjecti?*

℞. Civitas eadem manet, quippe & sine muris, propugnaculisque libera & sui juris esse potest civitas. Imo multæ sunt civitates, quæ plane muros non habent. Grot. §. 7. *ibique* Tesm.

Qu. X. *An mutata regiminis forma eadem manet civitas?*

℞. Aff. quia *essentialis* forma sive ordo imperandi in genere conservat civitatem, non *accidentalis*, quæ à subjecto existentiæ sumitur & sæpe mutari potest. Hinc idem Populus Romanus sub regibus, consulibus, imperatoribus. Grot. §. 8. *n.* 1. Bœcl. *d. l. p.* 5. & *p.* 41. *seqq.*

Qu. XI. *Quid si plenissimo jure regeretur civitas, seu ex summa libertate in servitutem civilem præcipitetur?*

℞. Nihilominus quædam civitas manet, quippe num per plura civitatis membra regatur, an per præstantissimum

unum i. e. caput seu principem nihil interest, quoad essentiam civitatis. Grot. *d.* §. *8. n. 1.* Velthem *h. c. qu. 8.*

Qu. XII. *An desinit populus debere pecuniam, rege sibi imposito, quam liber debebat?*

℞. Neg. quia fides rerum creditarum non civili sed humano jure nititur, & idem populus, qui debet, manet, ac dominium retinet eorum quæ populi fuerunt, imo & imperium, quanquam jam non exercendum à corpore, sed à capite. Grot. §. *8. n. 3.*

Qu. XIII. *Quid si populo jure victoriæ Princeps imponatur?*

℞. Adhuc populus debitum solvere debet, idque sive victor *ipsi relinquat* aliquod dependens imperium vel dominium, sive illud *sibi tribuat*, quia occupatio bellica non potest efficere, ut populus qui debet, & idem manet, ab obligatione sua liberetur. Nisi hostis sit creditor, cui debetur. Ziegl. *ad Gr. II. 14. 11.* Bœcl. *d. diss. p. 51.*

Qu. XIV.

Qu. XIV. *Quo loco in conventibus sedere debet Rex, qui in populum liberum sibi imperium quæsivit?*

℞. Eodem, quo civitas ante mutationem sedebat, si post eam rex *in antiquo conventu aut systemate permaneat*, quia in materia præcedentiæ etiam possessio observari solet. Si vero post mutationem *ab eo sese separet*, antiquus civitatis locus illi nullum præjudicium adferet, ut cedat illis, qui in communi quondam conventu priorem locum tenebant, quia inter se æquales sunt, qui summum imperium obtinent. Idem dicendum, si populus post oblatum statum regium liber factus. Grot. *§. 8. n. 3. in f. ibique* Tesm. *lit. m.* Puf. *VIII. 12. 4.*

Qu. XV. *An civitas eadem esse desinit, si alteri uniatur?*

℞. Aff. sive ea ut appendix conjungatur alteri digniori; sive utriusque accidentali formâ mutatâ nova constituatur. Priori casu minus digna civitas *deletur*; posteriori ex utraque civitate *nova* plane *exsurgit*. Ita vero uniri civitates diver-

ſæ, ut maneat quæque quod fuit, non poſſunt, niſi per modum arctioris fœderis, quod ſyſtema aliquod, non autem civitatem proprie dictam producere poteſt. Kulpiſ. *de Unit. Reip. in S. R. J. c. 1. §. 6. ſeq.* Puf. *VIII. 12. 6.* Diſſent. Grot. *§. 9.*

Qu. XVI. ***Poteſtne una civitas dividi, ut ex ea fiant plures?***

℞. Aff. & quidem vel mutuo conſenſu, vel vi bellica. Quod cum fit, *plura* pro uno exiſtunt ſumma imperia cum ſuo jure in partes ſingulas. Si quid autem *commune* fuerit, id aut communiter eſt adminiſtrandum, aut pro ratis portionibus dividendum. Huc referenda eſt diſceſſio, quæ ex conſenſu fit in colonias. Grot. §. *10.* Puf. §. *5.* Bœcl. *d. Diſſ. p. 38. ſeqq.*

Qu. XVII. ***An emiſſa colonia tenetur exſolvere debita abs civitate matre contracta?***

℞. Neg. quia debita civitatis matris bona ultimo afficiunt, de quibus colonia nihil participat. Nec commoda quæ antea

antea coloni ex illis debitis perceperunt, eos obligant, quia antiqua civitas eos liberos abs ſeſe dimiſit. Puf. *d. l.*

Qu. XVIII. *Quæ Romani Imperii fuerunt, cujus nunc ſunt?*

℞. Adhuc Populi Romani eſſe Grotius, quo placeret Gallis & Pontifici, ſtatuit §. *11. h. c.* quod tamen, quia Occidentali imperio dudum finis impoſitus, captâ & vaſtata per Gothos Româ & in ſervitutem & municipium redacta, rurſus â Longobardis eadem & totâ Italiâ ruptâ & laceratâ, eidemque ne minima imperii parte relictâ, falſo aſſeritur. Rem ita tradimus: occupato Occidente armis & à Longobardis ad preces Pontificis liberatà per Carolum M. Italiâ, illum jure belli, interveniente populi Romani acclamatione & Impp. Orientalium transactione, Occidentale Imperium excitaſſe & id *ad Germanos* transtuliſſe. Vergente Caroli proſapiâ, vindicaſſe Ottonem I. Cæſaream dignitatem, eamque æterno fœdere *cum Germanis* junxiſſe, hinc hodie *Germanis* perpetuum jus eſſe ad im-

peratoriam dignitatem. conf. Oldenburg. *Limn. enucl. L. 1. c. 3. §. 7. seqq.* Schvveder. *in Introd. ad Jus publ. Part. general. c. 4. §. 10 -- 17.* Conring. *de German. Imper. Rom. c. 5. seqq.*

Qu. XIX. *An approbatione papali opus in Imperatore electo?*

℞. Id quoque falso asserit Grotius, nam licet Impp. usque ad Carolum V. coronati fuerint à Pontifice, ista tamen coronatio non fuit causa sed testimonium electi imperatoris. Hinc porro falsum: Pontificem vacante imperio feuda conferre, quia nihil juris in imperium Pontifici competit. Carpz. *de Lege Regia c. 2. Sect. 9.* Limn. *in addit. ad Jus publ. tom. 5. lib. 1. c. 4. n. 24. p. 22. seqq.*

Qu. XX. *An persona heredis eadem censetur cum persona defuncti?*

℞. Aff. quoad continuationem dominii tam publici quam privati. Grot. *§. 12.*

CAPUT

CAPUT X.

De Obligatione quæ ex Dominio oritur.

Qu. I. *Ob competens nobis dominium quid aliis jus N. præcipit?*

UT quilibet teneatur alterum, *non hostem*, rebus suis quiete frui pati, neque vi aut fraude illas corrumpere, resque alienas, si ad se pervenerint, legitimo domino restituere. Pufend. *IV. 13. 1. seqq.*

Qu. II. *Unde obligationis fundamentum est, quâ ad rem alienam restituendam domino obligamur?*

℞. Id oritur non ex *fictitio* aliquo *contractu universali*, quem Grotius *II. 10. 1. n. 4.* comminiscitur & Pufend. *d. l.* §. *3. & 5.* probare videtur, sed ex *ipsa lege naturali* ejusque præcepto, quod per dictamen rectæ rationis suum cuique tribuendum & quod quisque sibi fieri vult, alteri faciendum jubet. Kulpis. *Coll. Grot. h. c.* van der Muelen. *b.* §. *1.*

Qu. III. *Quot modis hæc obligatio contra nos nascitur?*

℞. Duobus aut è rebus *exstantibus* aut *non exstantibus*. Illius circa priores hæc est efficacia: *ut teneatur is qui rem nostram habet in sua potestate efficere, quantum in se est, ut in nostram potestatem redeat*. Circa posteriores ista: *ut ille qui ex re nostra factus est locupletior, quamdiu nos rem non habuimus, in tantum teneatur, in quantum factus est locupletior* Grot. *II.10.1. n.1.& 2.* Puf. *d.l. §.4.& 6.* Velthem *ad Gr. h. c. §.23.& 24.*

Qu. IV. *An possessor sponte non petenti domino rem suam restituere debet?*

℞. Aff. quia Jus Naturæ, quod vult ut cuique suum tribuatur, rem pro domino reposcit. Alias defraudari sæpè quis posset re sua, cessante repetitione ob ignorantiam. Grot. *d. §.1. n.2. in f. ibique* Tesm. *lit. i.* Osiand. *h. c. O. 1.*

Qu. V. *An ad eam reddendam tenetur suis impensis?*

℞. Neg. sed sufficit significasse rem alie-

alienam penes se esse, nec per se staturum, quo minus dominus suum possit recipere. Quas vero de suo in eam servandam fecit, rectè à domino reposcere, aut tantisper, donec solvantur, rem retinere potest *Deut. XXII, 2. & 3.* Grot. *d.* §. *1. n. 2.* Puf. *IV. 13. 2.*

Qu. VI. *An res aliena restituenda sive b. sive m. fide possideatur?*

℞. Aff. quando b. f. possessor rescivit rem alienam esse, quia obligatio restitutionis non oritur ex delicto, sed ex ipsa re, quæ cuique sua restituenda. Grot. §. *1. n. 3. ibique* Tesm. *lit. K.* Felden.

Qu. VII. *An ipse b. f. possessor jus suum in dubium vocare, & publicè denunciare debet, an quis eam rem sibi vindicare velit?*

℞. Neg. quia ubi modus, quo possessionem nactus sum, nihil vitiosi continuit, bona fides me omni crimine vacare facit, & efficit ut habear pro domino. Quin post completam usucapionem rem restituere non teneor, licet intelligam fuisse alienam, quia semel mihi legitimè

O 5 est

est acquisita. Puf. §. 2. Zoes. *ad ff. tit. de usucap. n. 60.*

Qu. VIII. *In re repetenda, si cum domino concurrat, cui ex contractu illa debetur, v. gr. deponens, quis præferendus?*

℞. Dominus, quia ejus obligatio, ex qua teneor rem restituere, est antiquior ac particularibus contractibus præponderat, iisque exceptionem dat. *L. Bona fides 31. Depos.* Nisi jus posterioris contrahentis peculiariter sit firmatum, ut propterea domino præferri possit, quale est creditoris in re oppignorata, nam hic si eam deposuerit, præferendus domino eam reposcenti à depositario. Grot. *d.* §. *1. n. 4. ibique* Gronov. & Ziegl.

Qu. IX. *An res aliena restituenda sive Gentium sive civili jure à Domino acquisita?*

℞. Aff. nam ad dominii naturam nihil refert ex quo jure oriatur, semper enim secum habet quæ sibi sunt naturalia, inter quæ est obligatio cujusvis possesso-

ris

ris ad rem domino restituendam. Grot. *d.* §. *1. n. 5.*

Qu. X. *Cur ex rebus non extantibus obligatur possessor in quantum locupletior factus?*

℞. Ne ex immerito alterius damno lucrum capiat, quod Grot. *b. c.* §. *2.* aliquot exemplis illustrat. Ut tamen id procedat, si domino res aliena non aliundè sit pensata. Puf. §. *6.* vid. *qu. 3. b. c.*

Qu. XI. *Quid si res periit?*

℞. Tunc possessor b. f. licet culpa ejus perierit non tenetur ad ullam restitutionem, quia nec res penes ipsum est, nec lucrum ex re. Grot. §. *3.* Puf. §. *7.*

Qu. XII. *Quid si fructus extent re perempta?*

℞. Eos omnes b. f. possessor restituere debet sivè sint naturales sivè industriales, quia ad quem pertinet res, ad eum quoque fructus pertinent ceu accessorium. Possessori tamen jus est detrahere impensas in culturam, quo fructus provenirent, factas *L. 22. C. de R. V. L. 48. ff. de A. R. D.*

L. 36.

L. 36. §. f. ff. de H. Pet. L. 51. ff. Fam. Ercisc. Puf. §. 8. Dissent. Grot. §. 4.

Qu. XIII. *An idem in consumtis?*

℞. Etiam hos restituere tenetur, dummodo rem alienam consumendo suæ pepercit, nam in hoc locupletior censetur. De his autem quos percipere neglexit, non tenetur, quia nec rem habet, nec quicquam quod rei loco succedit. Grot. §. 5. & 6. Puf. §. 9. & 10.

Qu. XIV. *Rem alienam sibi donatam si quis denuo alteri donet, an restituere tenetur?*

℞. Tenetur si *ex officio* aliquo tantundem donaturus fuerat, tunc enim lucrum erit rei suæ pepercisse. Non tenetur si donaverit *ex mera liberalitate.* Grot. §. 7. *ibique* Tesm. Puf. §. 11.

Qu. XV. *Si oneroso titulo rem alienaverit?*

℞. Cum distinctione: aut *oneroso* titulo eam comparavit, & tunc venditor non tenetur, nisi quatenus forte pluris vendiderit, aut titulo *lucrativo*, & omne pretium quod accepit domino restituere tene-

tenetur, quia ubi minima lucri computatio, ibi restitutioni locus. Grot. §. 8. Puf. §. 12.

Qu. XVI. *Quid si oneroso titulo partem adhuc teneat?*

R. Eam domino restituere tenetur, nec pretium ab ipso domino reposcere potest, sed saltem ab eo à quo istam rem accepit. Nisi dominus rei suæ possessionem recipere sine aliquo impendio non potuit, ut si res apud hostes fuerit, tunc enim deduci poterit, quantum Dominus ex liberalitate, aut ultro impensurus fuerat. Grot. §. 9. *ibique* Ziegl. Puf. §. 13.

Qu. XVII. *An quoque reposcere potest pretium, qui eo fine emit ut domino restitueret?*

R. Aff. si probabiliter prævideat, dominum rem suam ægrè recuperaturum, neque pretium quod dedit amplius est, quam quanti æstimari potest ista facti possessio, quia is nullo prætextu postulare potest, ut ego gratis rem suam servem. Puf. *d.* §. 13. Felden. *ad Gr.* §. 9.

Qu. XIIX.

Qu. XIIX. *Qui rem alienam emit, an eam restituere potest venditori, ut pretium servet?*

℞. Aff. si nihil intereft domini, à possessore vel venditore rem recipiat, ita tamen ut domino indicet ubi res sua sit. Secus si ejus intersit, ut si possessio rei recuperatu difficilis, quia ex quo res fuit in emptoris potestate, cœpit obligatio restituendi, quantum in ipso fuit, quod non præstaret, si rem restitueret venditori. Grot. §. 10. *ibique* van der Muelen. Puf. §. 14.

Qu. XIX. *Ad quid tenetur m. f. possessor?*

℞. Non tantum rem aut ejus æstimationem cum fructibus exstantibus & perceptis restituere tenetur, sed & percipiendorum rationem reddere, quia nemini fructuosum esse debet maleficium *L.* 22. *C. de R. V.* Carpz. *P.* 2. *C.* 32. *D.* 30.

Qu. XX. *An rem inventam inventor sibi vindicare potest?*

℞. Potest si fecerit quantum in se fuit, ut veniat in domini notitiam, & dominus

mus non appareat. Neque eam *naturaliter* pauperibus dare debet, quia nemo apparet cui ejusm. res propius adjudicanda, quam qui invenit, & sic b. f. possidet. Quanquam piè faciat, si eam pauperibus relinquat. Grot. §. 11. Puf. §. 15. Vinn. *ad §. ult. J. de R. D. n. 3.*

Qu. XXI. *An restituendum est acceptum ob turpem causam aut honestam ad quam quis obligabatur?*

℞. Aff. quia ex vitiosa causa translatum, non potest justo titulo acquisitum esse accipienti, ut non potius alienum possideat, quod restituendum. Hinc Judas in hoc quod doluerit retinere acceptam ob proditionem pecuniam non carpendus Ziegl. & Osiand. *ad Gr. h. c.* §. 12. Hedinger. *Sicilim. Philosoph. h. c.* §. *ult.* Dissent. Grot. §. 12. *ibique* Tesm.

CAPUT XI.
De Promissis.

Qu. I. *Sufficiuntne officia humanitatis ad necessitates vitæ humanæ sublevandas?*

Quan-

QUanquam ista satis latè sese per vitam humanam diffundunt, omnia tamen, quæ hominibus à se invicem utiliter percipere licet, ex eo solo fonte deduci nequeunt, quia non omnibus hominibus ea est ingenii bonitas, ut omnia humanitatis officia velint præstare citra exploratam spem paria recipiendi, & sæpe illa ejusmodi sunt, ut gratis eadem nobis exhiberi salva fronte nequeamus, nec recipere talia officia ab altero gratis nos semper decet. Hinc opus est *promissionibus & pactis*, quibus determinamus, quid alteri præstandum, quidve ab eodem nobis iterum expectandum sit. Puf. *III. 4. 1.* Thomas. *Jpr. Div. L. 2. c. 7.* §. 2.

Qu. II. *Quid promissio, quid pactum?*

℞. *Promissio* est significatio voluntatis nostræ, de futuro jure, quod jam nostrum est, alterius gratia. *Pactum* est consensus duorum in idem placitum de dando aliquo aut faciendo.

Qu. III. *An ex promissis ad servandam fidem datam naturaliter obligamur?*

℞. Aff.

℞. Aff. (1) quia dum pacti fuimus jus nostrum ac potestatem in nos seu libertatem nostram in alium transtulimus, eoque juxta alterius voluntatem nos vivere oportet. (2) quia nihil adeo congruum est humanæ fidei, quam ea servare quæ placuerunt *L. 1. ff. de pact.* (3) quia inter Reges & populos diversos necessarius est aliquis se obligandi modus, & vero naturalis alius, quam qui fit pactis, fingi non potest. Grot. *II. 11. 1. n. 3.* Becm. *Med. Pol. c. 5. §. 9.* Puf. *III. 5. 9. seqq.*

Qu. IV. *Quot dantur gradus promissionis?*

℞. Tres eorum recenset Grotius *II. 11. 2. 3. 4. Assertionem simplicem, Pollicitationem & Perfectam promissionem*, ex quibus ista *nullam*, altera *imperfectam*, hæc *perfectam* ac *efficacem* producit obligationem.

Qu. V. *Quomodo se habet assertio?*

℞. Quando quis pro præsenti animum suum explicat sic vel aliter agendi, & non tam promittit, quam spem facit, fieri aliquando posse, ut hoc vel illud faciat, ita

tamen ut animi mutatio nullam mereatur reprehensionem. Grot. *h. c.* §. 2. *ibiq.* Hennig & Obrecht.

Qu. VI. *Quomodo pollicitatio?*

℞. Quando ipse qui promittit, quidem obligari vult, ut tamen alteri *Jus ad exigendum* non concedat, quo officii sui gratia eo major foret, quo longius ab eodem coactio abfuerit. Grot. §. 3. *ibique* Tesm.

Qu. VII. *Quomodo hæc promittentes obligat?*

℞. Obligat magis ex lege *veracitatis* quam *justitiæ*, vultque promittens magis videri, quod propriæ *constantiæ*, aut *generositatis* impulsu feratur ad officium faciendum, quam propter *jus alterius*. Huc spectant pollicitationes virorum potentum ac gratiosorum, quibus alicui non per verba honoris, sed serio suam commendationem, intercessionem, promotionem aut suffragium spondent, qui tamen ad ea quæ promiserunt, nolunt urgeri aut cogi, sed cupiunt omnia in soli-

ſolidum ſuæ humanitati ac veracitati imputari. Puf. *III.5.6.*

Qu. VIII. *Quomodo ſe habet perfecta promiſſio?*

℞. Quando non ſolum ipſe obligari volo, ſed & ſimul jus in alterum confero, ut rem promiſſam velut debitam à me exigere queat. Grot. §.4. Puf. *d.l.* §.7.

Qu. IX. *Quæ ſunt requiſita perfectæ promiſſionis?*

℞. Ratione *promittentis* tria ſunt, quæ circa *formam*, *materiam* & *modum* declarandi voluntatem verſantur. Ratione *promiſſarii* unum, quod *ad acceptationem* pertinet. Kulpiſ. *Coll. Grot. h. c.* §.2.

Qu. X. *Ut aliquis liquido conſentire poſſit, quid requiritur?*

℞. *Uſus rationis*, ut promittens præſens negotium intelligat & videat an conveniens ſit, ut ſe obliget ad dandum vel faciendum, an non. Hinc promiſſa infantum, amentium & furioſorum, quamdiu durat furor nulla ſunt. Fœminæ autem ex promiſſo naturaliter obliga-

ligari possunt, ut & minores, utut effectum obligationis leges civiles quandoque circumscribant aut tollant. Grot. §. 5. Puf. *III.6.3.& 5.*

Qu. XI. *Quando puer ratione uti incipit?*

℞. Hoc certo definiri non potest, cum in aliis citius in aliis tardius judicium maturescat, sed ex quotidianis actibus illud judicandum est. In plerisque civitatibus non sine ratione determinatio minorennitatis legi civili relinquitur. Grot. §.5.*n.2. ibique* Velthem §.2.*n.4.* Puf. *III.6.5.*

Qu. XII. *Quomodo lege civili tollitur effectus obligationis minorum?*

℞. Vel irritæ pronuntiantur eorum promissiones, vel contra illas restitutionis beneficium datur. Et his legibus etiam *peregrinus* tenetur, qui cum cive paciscitur, quia qui in loco alieno contrahit, tanquam subditus temporarius legibus loci subjicitur. Grot. §.5. *n.2.*

Qu. XIII.

Qu. XIII. *Quid si pactio fiat in mari, aut insulis vacuis?*

℞. Inter *ejusdem civitatis* paciscentes observandæ sunt leges illius civitatis, *diversarum* autem *civitatum* subditi sua pacta solo jure naturæ determinabunt. Nisi forte in foro alterutrius actio instituenda, nam tunc leges illius loci videntur considerandæ. Idem obtinet, si per literas inter absentes contrahatur, aut à summam potestatem habente cum suis subditis. Nisi se sponte legibus suæ civitatis subjiciat. Grot. *d.l.n.3. ibique* Tesm. *lit.l.* Puf. *III, 6.5. in f.*

Qu. XIV. *An ebrii ex promissis obligantur?*

℞. Neg. quando ebrietas eousque processit, ut per vinum *ratio* sit planè obruta. Secus si saltem *ad bilaritatem* quis paulo largius adbiberit, aut discussa crapulâ ea ratihabeat quæ promisit, quia tunc obligatur ex eo quod sobrius egit. Puf. *d. c.6.* §. *4.* vid. Bernegg. *ad Tacit. qu.15.* Olear. *Itinerar. Persic. L.5.c.37.in f.* & *c.39.pr.*

Qu. XV. *At ebrii obligantur ex delicto?*

℞. Obligatio ex delicto non venit ex consensu, sed ex ipso improbo facto lege prohibito, quæ etiam stringit invitos. Obligatio vero ex promisso consensum requirit, qui si per ebrietatem impeditur, non poteſt in promittente ebrio adfuisse. Pufend. *d.* §. *4.*

Qu. XVI. *Quid si error in promittente?*

℞. Distingv. error circa *substantialia* sive in quibus pactum vel promissio fundata est, & error circa *accidentalia* sive ea quæ substantiam pacti per se non contingunt. Ob priorem errorem promittens non obligatur, quia non consensit in promissum, nisi sub conditione quadam, quæ re ipsa non extitit. Posterior obligationem non dissolvit, quia consensus circa substantialia adfuit. Grot. §. *6.* Puf. *d. l.* §. *6.* Aliter Thomas. *II. 7. 3. 9. seqq.*

Qu. XVII. *Quid si promissor negligens fuit in re exploranda?*

℞. Si vel exinde, vel quod in sensu suo ex-

exprimendo non ſatis cautus fuerit, alter damnum paſſus ſit, tenebitur id reſarcire promiſſor, non ex vi promisſionis, ſed ex damno per culpam dato. Grot. *d.* *§.6.n.3.*

Qu. XVIII. *Quid ſi dolus alterius errori cauſam dederit?*

℞. Si I. *tertius* dolum adhibuit, non colludente eo cum quo contraxi, negotium eſt validum, ob damnum tamen quod inde oritur, ille mihi tenetur. II. ſi *ipſius cum quo contraxi* dolus *cauſam dedit* huic errori, non obligor, propter deficientem conſenſum, qui in his non eſt, qui dolo decipiuntur III. ſi *dolus fuerit incidens* circa *ipſam rem* aut qualitatem rei, pactum erit vitioſum, ut in arbitrio decepti ſit vel planè ab illo diſcedere vel læſionis penſationem exigere IV. ſi circa ea fuerit, quæ *ad eſſentiam negotii non faciunt*, nec expreſsè fuerunt deſignata, actum non vitiat, licet fortè alter de iis, dum paciſcitur, tacite cogitaverit. Puf. *III.6.8.*

Qu. XIX. *Metus quid efficit, si circa promissa aut pacta intervenit?*

℞. Metus duobus modis considerari potest, vel ut *suspicio probabilis*, fore ut ab altero decipiamur, dum vel ejusmodi vitium in animo ipsius hæret, vel quia malignam suam voluntatem sat perspicuè significavit, vel ut *vehemens animi terror* ortus ex intentato gravi malo, ni promissum aut pactum inire velimus. De utraque specie distinctim agendum est.

Qu. XX. *Quid ergo si pactum initum cum eo à quo metuimus decipi?*

℞. Si *tempore promissi* adfuit ejusmodi metus, imprudenter feci, qui promisi, promissum tamen ob eam solam causam non redditur irritum. Si post *pactum initum* ejusmodi metum ex sufficientibus indiciis suscipiam, utpote id alterum agere, ut mihi, quando meum priore loco præstitero, illudat, non prius ad præstandum adigi potero, quam contra eam deceptionem mihi ab altero idoneè cautum sit. Zentgrav. *in Summa Jur. Div. Sect.*

Sect. 2. art. 1. subsect. 3. §. 15. Puf. §. 9. Thomas. *II. 7. 53. seqq.*

Qu. XXI. *Quid si ex metu gravioris mali intentati promissio facta?*

℞. Si metus ille *à tertio* incussus, valebunt pacta cum alio ad hunc metum removendum inita, quia nullum in illo vitium residet, sed potius pensatione dignus est, quod metum à latrone intentatum suo auxilio discusserit. Si ab *ipso latrone injusta vi* metus incussus, qui absque merito meo & culpa violenter me ad aliquid promittendum adigit, promissa & pacta invalida sunt, quia violenta illa oppressio & coactio latroni *nullum* jus dare potest, cujus vi exigere queat obligationem: nam ad hanc generandam *non sufficit* consensus, sed *à lege* vim accipere debet, quæ hic nulla assistit vim inferenti, sed ea, quæ vim & metum alteri incutere vetat, potius prohibet metum facienti, ne ex illa metus incussione jus acquirat. Puf. §. *10. 13.* Becm. *M. P. c. 5. §. 5.* Dissent. Grot. §. *7. n. 2.* Hobbes. *de Cive c. 2. §. 16.*

Qu. XXII. *Quid si quis habeat jus metum inferendi & vitium cesset vis injusta?*

℞. Ex tali metu promissum validum est, v. gr. *si pacta cum hoste publicæ pacis causa* inita & metu majoris mali suscepta, quia quicquid jure belli agitur, censetur juste agi Grot. *III. 19. 11, & 12.* Becm. *d. l. §. 8.* Sic pacta ex *metu reverentiali* inita subsistunt, quia talis metus ex justa causa & sensu officii nostri oritur, nec tollit consensum, sed in potestate nostra nos relinquit conf. *Disp. nostra de Metu reverentiali.*

Qu. XXIII. *Quæ materia requiritur ut promissum valeat?*

℞. Quæ est aut esse potest in potestate promittentis. Res ergò impossibilis sive natura sive lege talis non cadit in promissum. *L. 15. ff. de Cond. inst.* Grot. *§. 8. ibique* Felden. Puf. *III. 7. 6. seq.*

Qu. XXIV. *Si res nunc quidem non sit in potestate promittentis sed esse aliquando possit?*

℞. Erit in pendenti efficacia, quia

tunc

tunc promisſio facta cenſeri debet ſub conditione; ſi res in poteſtatem venerit. Grot. *d.* §. *8. n. 2.*

Qu. XXV. *Si res promiſſa poſt promisſionem facta impoſſibilis, an liberatur promiſſor?*

℞. Aff. ſi *caſu fortuito* impoſſibilis facta, modo promiſſor quod ab altera parte accepit reſtituat, vel ſi hoc non facere poſſit, ſummum conatum adhibeat, ne alter quid detrimenti capiat. Neg. ſi ob *dolum vel culpam* promiſſoris, ſed hoc caſu non ſolum ad ſummum conatum obligatur, ſed velut in ſupplementum malo quoque poteſt multari, ut qui non habet in ære luat in corpore. Puf. *III. 7.3. & 4.*

Qu. XXVI. *An promisſio facta ob cauſam naturaliter vitioſam ipſa natura valet?*

℞. Promisſio hæc tam ante quam poſt perpetratum crimen vitioſa eſt, quia ibi eſt *ilex mali*, hic pervenit ad *plenum turpitudinis gradum*, ex qua contra promiſſorem ad exſolvendam rem promis-

ſam

ſam criminis perpetrati cauſa nulla poteſt eſſe obligatio. Hinc impletio promisſionis Judæ Thamari factæ æque ac ipſa promisſio turpis fuit, adeoque non imitanda. *Geneſ. XXXVIII, 15. ſeqq.* Puf. *d. l.* §. *7.* & *8.* Huber. *de. J. Civ. L. 2. S. 6. c. 3.* §. *14.* Diſſent. Grot. §. *9.*

Qu. XXVII. *Quod promittitur ob cauſam ante debitam, an debetur?*

℞. Aff. v. gr. ſi promittat creditor debitori ſuo aliquid, ne ſolutionis tempus moratoriis dilationibus extrahat, cum tamen debitum exiſtente die ipſo jure ſolvere debeat, quia etiam ſine ulla cauſa expreſſa ex mera liberalitate promisſio valet. Grot. §. *10. ibique* Hennig.

Qu. XXVIII. *Quis eſt modus promittendi?*

℞. Hic requirit ſignum *voluntatis declarandæ externum*, quale nutus, vox, literæ, etiam homo, ſi conſtet de voluntate noſtra, quâ hunc tanquam *inſtrumentum* noſtrum ad hoc ſpeciatim vel ſub generali nomine elegimus. Ita nomine Principalium promittunt in publicis

Le-

Legati, in privatis Institores & magistri navium. Grot. §. 11. Puf. *III. 6. 16.*

Qu. XXIX. *An præpositus noster nos obligare potest agendo contra voluntatem nostram?*

℞. Potest, si *generaliter* sit præpositus ut nomine nostro agat. Modo tamen bona fide agat, nam sub hac tacita conditione dedisse videmur istud generale mandatum, quod decipi ab eo nolimus. Si duplicia mandata data, aliud *manifestum* & generale, quod mandatarius exhibet illi, cum quo agendum, aliud *arcanum* & speciale, quod mandatarium instruit, & quousque progrediendum sit præscribit, si contra hoc arcanum egerit, gestum ratum & firmum manet, nosque tertio obligamur ad id quod ab illo actum fuit, nobis tamen mandantibus tenetur mandatarius ad id quod interest à mandato nostro non fuisse discessum Grot. §. 12. Puf. *III. 9. 2.* Hert. *Tom. 3. Opusc. de oblig. mand. & mandat.* §. 11.

Qu. XXX.

Qu. XXX. *Si plures per magistrum navem exerceant an ex ejus contractu quilibet illorum in solidum obligatur?*

℞. Aff. quia in damnum vergeret ejus, qui cum magistro contraxit, si cum singulis pro partibus agere teneretur, cum è contrario præponentes magistrum sibi invicem facile cavere possint de mutua indemnitate, si forte unus eorum conveniatur in solidum. *L. 1. §. ult. L. 2. ff. de Exerc. act.* Perez. *ad Cod. de instit. & exerc. act. n. 10.* Dissent. Grot. §. 13.

Qu. XXXI. *Quid ex parte promissarii requiritur, ut promissio jus transferat?*

℞. Requiritur *acceptatio*. Si tamen rogatio antecessit, censetur ea durare, nisi expressè fuerit revocata, eoque casu in antecessum acceptatio facta intelligitur. Ut vero hæc innotescat promissori, non semper est necessarium. Grot. §. 14. & 15. *ibique* Tesm. Puf. *III. 6. 15.*

Qu. XXXII. *An promissum ante acceptationem revocari potest?*

℞. Po-

℞. Poteſt ſine vitio inconſtantiæ aut injuſtitiæ, quia ante acceptationem alteri nondum jus quæſitum. Ex qua ratione ante illam etiam revocari poteſt (1) ſi mortuus ille, cui per literas aut nuntium aliquid offerimus. (2) ſi mortuus ſit voluntatis noſtræ nuntius. Grot. §. 2. 16. 17. Puf. *d. c. 9.* §. 3. & 6. vid. van der Muelen. §. 17.

Qu. XXXIII. *An revocatio promisſionis innoteſcere debet nuntio?*

℞. *Neg.* ſi tantum ſit electus ut perlator ſententiæ noſtræ. *Aff.* ſi electus ut ab ejus voluntate jus promittendi pendeat, quia nondum cognita revocatione omni culpâ vacabat. Grot. §. 17. *ibique* Teſm. Puf. §. 4.

Qu. XXXIV. *An in dubio præſumitur mandatum revocatum?*

℞. Neg. quia revocatio facti eſt. Niſi *magna mutatio* inciderit, qualis eſt mors mandantis, aut apertiſſimè appareat, ſtatum rerum præſentem, unicam misſionis

nis causam fuisse, & status fuerit mutatus Grot. §.17.n.2.

Qu. XXXV. *An tertius promissionem alteri factam acceptare potest?*

℞. Si mandatum habeat acceptandi pro altero, non dubium est, efficax fieri promissum. Si non habeat, distingvendum inter *promissionem mihi factam* de re danda alteri, & inter *promissionem collatam in ipsius nomen*, cui res danda est. *Priori* casu in tertii arbitrio est aut acceptando derivare promissum in promissarium, aut recusando id impedire, quo minus ad ipsum perveniat. *Posteriori* neque tertio ex promissione jus erit quæsitum, quia in ejus personam promissio non fuit collata, neque promissario, quia cum non dedit tertio mandatum acceptandi, ejus etiam actionem pro sua non agnoscit. Hinc promissor, quia neutri jus est quæsitum, promissionem suam citra injuriam revocare potest. Grot. §.18. Puf. *d.c.9.§.5.* Aliter van der Muelen. §.*18.p.396.*

*Qu.*XXXVI.

Qu. XXXVI. *An onus seu conditio promissioni adjici potest?*

℟. Ante acceptationem qualiscunque possibilis conditio adjici potest, post eam non potest, quia jus acceptanti jam est quæsitum. Grot. §. 19. Puf. §. 7. & III. 8. 4.

Qu. XXXVII. *An conditio conferri potest in arbitrium ejus qui promisit v. gr. dabo tibi si mihi placuerit?*

℟. Neg. quia ex hac promissione nulla obligatio oritur, cum ejusmodi conditio in perpetuum à promittente inhiberi & eludi possit. Puf. *d.* §. 4. Huber. *Præl. Inst. tit. de Inut. stipul.* §. 11.

Qu. XXXVIII. *Quid si onus in gratiam tertii adjectum?*

℟. Quamdiu à tertio acceptatum non fuit, revocari potest, quia huic ante acceptationem nullum jus quæsitum. Grot. *d.* §. 19. Puf. *d.* §. 7.

Qu. XXXIX. *An promissio cui metus vel error causam dedit convalescere potest, si eidem promissor cognito errore vel metu stare velit?*

℞. Aff. modo interveniat actus externus, quo declaratur consensus, qui deerat in errante & metu compulso. Nec is præcise verbis fieri debet, quia nec talia ad promissionem de novo faciendam præcise requiruntur. Grot. §. *20. ibique* Hennig. Puf. *III. 6. 14.* vid. supr. *qu. 25. h. c.*

Qu. XL. *An promissiones causam expressam, quare fiant, habere debent?*

℞. Neg. de jure naturali, sed etiam tacita causa subesse potest v. gr. liberalitas in eo qui promittit & scit se non debere. Grot. §. *21.*

Qu. XLI. *Ad quid tenetur qui factum alienum promisit?*

℞. Ne frustra contraxisse intelligatur, promisisse videtur, se nihil omissurum, quod ex sua parte ad id implendum facere poterat. Idque eo magis procedit, si promissioni de facto alterius factum proprium promittentis implicetur v. gr. se effecturum ut faceret. Quanquam, si promittens omnem impenderit operam, videtur ab omni præstatione

ne liberandus, nisi simul suo periculo promiserit Grot. §. 22. Puf. *III. 7. 10.* Hert. *Tom. 3. Opusc. de obligat. alium datur. factur. Sect. 1.*

CAPVT XII.
De Contractibus.

Qu. I. *Quid est contractus?*

CONtractus est conventio cum causa producens efficacem obligationem & actionem.

Qu. II. *Quotuplices sunt contractus?*

℟. Partitio contractuum à Grotio hic tradita difficilis est & novis terminis exposita. conf. Kulpis. *h. c. §. 1.* Facilior & magis perspicua est Imperatoris Justiniani & JCtorum, qua I. alii sunt *Veri* & alii *Quasi* contractus. Veri sunt vel (1) *Nominati eorumque* alii *Reales* alii *Verbales* alii *Literales* (qui duo tamen Jure Gent. ignoti) alii *Consensuales*; vel sunt (2) *Innominati*. II. Sunt vel *bonæ fidei* vel *stricti juris*. III. Sunt alii *Unilaterales* & alii *Bilaterales*. IV. Alii sunt *Onerosi*, alii *Benefici* quorum omnium defi-

nitiones vid. ap. Dn. Hoppium *Exam. Inst. Imper. tit. de Oblig. & seqq.* Puf. *V.* 2. 8.

Qu. III. *Quid in contractibus attendendum?*

℞. *Æqualitas* servanda maxime in contractibus *onerosis*, ut minus habenti ex inæqualitate jus sit ad postulandum, ut suppleatur quod sibi deest. In *beneficiis* equidem, quia ob æqualitatem in aliud genus negotii mutarentur, ea exactè non servatur, attamen per accidens attendenda, quando qui beneficum actum suscepit, indemnis servandus, propter impensas, quas in negotium fecit, aut damnum, quod propter susceptum negotium incurrit, ne alias ex beneficio suo damnum sentiat. Grot. *h. c.* §. 8. 11. & 13. Puf. *V.* 3. 1. & 7.

Qu. IV. *Quomodo ista æqualitas invenitur & æstimatur?*

℞. Invenitur vel in *actibus* contrahentium, vel *in re* de qua agunt. Grot. §. 8.

Qu. V.

Qu. V. *Quomodo invenitur in actibus cantrahentium?*

℞. Actus isti sunt vel *praecedanei* vel *principales*. Quoad *illos* attendenda primum æqualitas *intellectus*, ut qualis res sit uterque sciat, hinc omnis *dolus* abesse, ac venditor *vitia aut incommoda* rem afficientia, si qua sibi sunt nota, significare debet. Deinde *voluntatis*, ut neutri contrahendi causa *vis* aut *metus* inferatur, unde consensus possit impediri. Quoad *hos* desideratur hæc æqualitas, ne *plus* exigatur, aut *minus* offeratur, quam par est. Grot. §. *9. 10. 11.* Puf. *V. 3.* 2. Kulpis. *Coll. Grot.* §. *2.* vid. Osiand. *h. c. ib. 9.*

Qu. VI. *An necessum est omnes circumstantias indicare?*

℞. Non tenemur indicare ea (1) quæ *extra rei substantiam* posita sunt, licet ad æstimationem ejus faciant, quia non ex natura contractus, sed extrinsecus accidunt (2) *vitia patentia* & quæ jam utrinque nota, quia emptor videtur in illa consensisse. Itaque Justitia hoc tantum requirit, ut ea indicentur quæ occulta &

rem subjectam per se contingunt e. gr. si domus sit pestilens, si à magistra u jam dejici jussa, Grot. §. *9. n. 2. & 3.* Puf. §. *4. & 5.*

Qu. VII. *Quomodo in ipsa re æqualitas æstimatur?*

℞. Si quidem nihil celatum, quod dictum oportuit, nec plus exactum, quam deberi putabatur, *in re* tamen sine culpa contrahentium *deprehendatur inæqualitas*, puta quod vitium latebat, aut in ipso pretio erratum, tunc inæqualitas illa est corrigenda & demendum ei qui plus habet, reddendumve minus habenti. Grot. *§. 12.*

Qu. VIII. *Quanta debet esse inæqualitas, ut à judice corrigatur?*

℞. Quanquam Leges civiles ad hoc requirunt inæqualitatem, quæ dimidiam partem justi pretii excedit. *L. 2. C. de Resc. Vend.* ideo quod nulla tribunalia suffectura sint expediendis litibus, si ob quamcunque minimam læsionem judex posset adiri; Jure naturæ tamen quælibet læsio paulo gravior corrigenda, quæ talis æstima-

matur, vel ex ipsa pretii magnitudine, vel ex tenuibus læsi facultatibus, licet infra dimidiam justi pretii sit. Grot. *d.* §. *12. n. 2. ibique* Tesm. Puf. *V. 3.9.* Unde Cicero: *Leges civiles iniqua tollunt, quatenus teneri manu possunt, Philosophi quatenus ratione & intelligentia de Offic. III. c. 17.*

Qu. IX. *Ut ritè servari possit æqualitas, quid requiritur?*

℞. *Pretium*, quod est valor rerum & actionum in commercia venientium, secundum quam illæ invicem comparari solent. Puf. *V. 1.3.* Thomas. *II. 11.3. seqq.*

Qu. X. *Quotuplex est pretium?*

℞. Est vel *Vulgare*, quod deprehenditur in rebus & actionibus seu operis in commercium venientibus, quatenus usum & delectationem hominibus afferunt. Vel *Eminens*, ad quod cæterarum rerum pretia vulgaria exiguntur, & in quo eadem virtualiter continentur, diciturque nummus vel pecunia. *Illud* antiquius est eminenti, obtinetque in permutatione; *huic* videtur causam de-

disse partim luxuria, partim studium augendæ civitatis, & in emptione adhibetur. Puf. *d.* §.*3.* Thomas. *d. l.* §. *6. seqq.*

Qu. XI. *Quodnam est fundamentum vulgaris pretii?*

℞. Fundamentum hujus pretii, seu quare res habeatur pretiosa, est *aptitudo rei vel operæ*, quâ aliquid mediatè vel immediatè conferre potest ad vitæ humanæ necessitates, aut ad eandem commodiorem aut jucundiorem reddendam. Unde res nullum planè usum præbentes dicuntur res nullius pretii, sicut & homines, qui interdum inutilia terræ pondera sunt, nullius pretii vocare solemus. Puf. *d. l.* §. *4.*

Qu. XII. *An omnes res utiles & necessariæ certo pretio veniunt?*

℞. Non, sed quædam sunt, quibus pretium detractum, licet vitæ humanæ sint necessariæ & utiles, vel (*1*) quia *dominio sunt exemptæ*, ut superiores partes aeris, æther ac cœlestia corpora (2) *extra commercium* sunt constitutæ, ut res & actiones sacræ, res religiosæ, libertas &c. (3) quia

quia quædam res *separatim possideri nequeunt*, sed saltem ut *accessorium* rei alterius e. gr. apricum solis lumen, liquidus & purus aer, amœna facies terræ, ventus, umbra & similes. Istiusmodi enim rebus homines sine usu terræ frui non possunt, hinc seorsim non habent pretium. Quod si tamen *cum prædiis*, regionibus, fundis *jungantur*, multum momenti afferunt ad augendum pretium. Puf. *d. l.* §. *5.* Thomas. *d. l.* §. *37.*

Qu. XIII. *Cur pretia rerum mox augentur, mox minuuntur?*

℞. Ad *intensionem* pretii inprimis sequentia faciunt. I. *Raritas*, quæ non parum commendatur, ubi ex locis remotis res afferuntur. II. *Ambitiosa* hominum *luxuria* multis rebus, quibus vita humana commode carere poterat, enormia pretia posuit, v. gr. unionibus, gemmis III. Rerum *usus quotidiani* ut ligni, salis, frumenti &c. pretia intenduntur ob raritatem junctam cum indigentia, ut in obsidionibus, lentis navigationibus, annonæ caritate id fieri solet. IV.

Pretia *rerum artificialium* præter raritatem maximè intendit, *subtilitas & elegantia artis*, *fama* artificis, operis *difficultas*. V. *Operarum & actionum* pretia intendit earundem difficultas, dexteritas, utilitas, necessitas, ipsa artis opinio, nobilis an ignobilis ea habeatur. VI. A quibusdam sæpe ex *peculiari affectu* res magni æstimantur, puta quod nobis ab eo, quem singulari affectu prosequimur, sit data, quodque rei illius ope magnum malum declinavimus &c. quod pretium *Affectionis* dici solet. Jam quæ his contraria sunt, pretium *minuere* solent. Grot. §. *14*. Puf. *d. l.* §. *6. & 7*. Thomas. §. *38. sqq. & in Dissert. de Pretio affect. in res fungib. non cad. cap. 1.*

Qu. XIV. *Quomodo vero definiantur certa rerum pretia?*

℟. In *statu naturali* determinantur ex conventione contrahentium, quia illis liberum est alienare aut acquirere quæ velint, nec dominum habent, qui commercia eorum moderetur. In *Civitatibus* vel à superiore per legem determi-

minantur, quod dici solet *pretium legitimum* seu *legale*, vel per communem hominum æstimationem & judicium, accedente eorum consensu qui contrahunt, vocarique solet pretium *commune naturale vel conventionale* Puf. *V*. 18. Titius *ad Puf. de O. H. & C. L.* 1. *c*, 14. *O*, 341.

Qu. XV. *An legale pretium mutare licet?*

℞. Illud regulariter cum justitia & æquitate congruere præsumitur, & velut in puncto consistit, ut & minimus excessus invitum lædat. Si tamen in *gratiam emptorum* constitutum, venditor potest minus accipere, si id non tendat in fraudem aliorum mercatorum; & si in *gratiam venditorum*, emptor majus dare potest, nisi determinatio pretii non tam propter utilitatem singulorum, quam ob utilitatem publicam, & per modum *legis sumptuariæ* facta sit. Puf. *d*. §. 8. Thomas. *d. l.* §. 54. *seqq*.

Qu. XVI. *An quoddam vulgare pretium certum & unum imponi potest rebus?*

℞. Neg.

℞. Neg. ſed id habet aliquam *latitudinem*, intra quam plus minusve dari & accipi ſolet ac poteſt, nihilque hic eſt expeditius dici, quam illud eſſe juſtum pretium, quod communiter ſolent dare illi, qui mercium & fori ſunt ſatis gnari. Puf. §. 9.

Qu. XVII. *Quid in communi pretio attenditur, ut id definiatur?*

℞. Habetur ratio laborum & expenſarum, quas mercatores communiter faciunt in mercibus tractandis. Caſus *extraordinarii* & impenſæ minus prudenter factæ huc non pertinent. Attenditur quomodo vendatur, in *magna copia* an minutatim. Paucitas ementium & pecuniæ ac mercium abundantia minuit pretium, copia verò empturientium & pecuniæ ſimulque raritas mercium illud intendit. Qui *paratam pecuniam* offert, minori pretio accipit rem, quam qui in diem differt ſolutionem, nam dies eſt pars pretii, Puſend. §. 10.

Qu. XVIII.

Qu. XVIII. *Cur non amplius hodie rerum permutatione & mutuâ operâ commercia constant?*

℟. Quia homines à *primæva simplicitate* desciverunt, & *amplior vitæ cultus* illis arrisit, sæpe non contigit cuivis ejusmodi res possidere, quas alter suis mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent. Hinc pretium aliquod eminens certæ rei imponere communi consensu visum fuit, ad quod cæterarum pretia exigerentur, adeo ut interveniente *nummo* quam libet rem venalem quis sibi comparare, & quævis commercia & contractus exercere possit. Puf. *§. 11. & 12.*

Qu. XIX. *Qualis materia adhiberi debet ad nummos cudendos?*

℟. Quia nummus debet esse mensura rerum aliarum, debet materia talis esse (1) ut per se minimè aut saltem difficulter flectatur (2) cujus publica & perpetua æstimatio multis aliis rebus æquivalere possit, (3) ut custodiæ & traditioni eadem sit habilis, i. e. quæ facile cir-

cum-

cumferri, condi, figurari, ac in his omnibus durare possit sine minimo sui detrimento. Hinc plerisque gentibus placuit adhibere *metalla nobiliora* & non admodum frequentia, ut aurum & argentum. *L. 1. ff. de C. E. V.* Grot. §. *17. n. 2.* Puf. §. *13.* Becm. *M. P. c. 18.* §. *4.*

Qu. XX. *Annon etiam ex alia materia quam auro & argento cudi potest moneta?*

℞. Aff. si vel provincia aliqua aurum & argentum *planè ignoret*, nec cum gentibus his metallis utentibus commercia exerceat, vel si apud aliquam gentem auri & argenti tanta sit *copia*, ut alia materia rarior & plus illis æstimetur. Sic etiam in magnis *necessitatibus* corium, charta, plumbum, stannum adhiberi potest, ut signo publico impresso nummi vicem subeat. Modo depulsis malis iterum cum nummis veris permutentur, & damnum communitati illatum resarciatur. Puf. *d. l.* Ziegl *de J. M. L. 1. c. 49.* §. *17.* Conring. *Diss. de re nummar.* §. *15. seqq.* Becm. *Consp. pol. c. 21. p. 106.*

Qu. XXI.

Qu. XXI. *Penes quem est potestas valorem nummis imponendi?*

℞. Penes summos imperantes, & ideo *imaginem* Principis aut insignia Reip. referunt pro demonstrando jure ejus. Nec immerito abusus hujus juris gravissimè punitur, eo quod toti Reip. maxima incommoda afferat. Ziegl. *d. l.* §. 8. Becm. *dd. ll.*

Qu. XXII. *An pro lubitu Principis valor nummorum augeri & minui potest?*

℞. Neg. sed respicienda est vicinarum gentium aut cum quibus nobis commercia exercentur, æstimatio. Nam si nimis magnum pretium nummis suis ponat, vel materiam eorundem non ritè temperet, commercia civium suorum cum extraneis valdè perturbabit. Puf. §. 14. *seqq.*

Qu. XXIII. *Post generalem tractationem contractuum jam quæritur in specie de emptione venditione, quando in ea dominium transferatur?*

℞. Transfertur post traditionem rei. Ante

Ante eam emptor ex contractu saltem obligationem habet *ad rem* habendam, non rei dominium. Et licet periculum rei statim post contractum emptorem sequatur, hoc tamen non fit, quia dominus est, sed quia in emptoris arbitrio stat, rem venditam statim exigendi, cui mora sua nocet; quando non exegit, & quia etiam omnia commoda rei venditæ ad emptorem pertinent ante factam traditionem. Struv. *S. J. C. Ex. 23. th. 97.* Obrecht. *ad Grot. h. c.* §. *15. ibique* Ziegl. *vid. supr. c. 8. qu. 14. seq.* Dissent. Grot. §. 15.

Qu. XXIV. *An monopolia pugnant cum J. naturali?*

℞. Monopolia seu *licentia merces suas vendendi exclusis aliis mercatoribus* à superiore ob Reip. utilitatem & necessitatem concessa nihil vitii continent, quia naturæ societatis non contrariatur, ut ab uno saltem ematur, modo is æquo pretio vendat. Ast quæ privata autoritate exercentur, vitio non carent, quia ita se gerentes aliorum utilitates intercipiunt. Grot.

Grot. §. *16. ibique* Tesm. Felden & Osiand. Puf. *V. 5. 7.* Fritsch. *in Opusc. var. Tr. 1. c. 5. & 10.*

Qu. XXV. *An pensio debetur, si sterilitas aliique casus usum impediant in locatione & conductione?*

℟. Si *nullus* sit usus, nulla debetur pensio, quocunque modo ille fuerit impeditus ob spectra, ob pestem, hostium incursionem &c. Si sit *aliquis usus* merces debetur vel integra vel pro parte, prout sterilitas unius anni ubertate aliorum annorum, vel rerum plurium uno contractu conductarum compensari potest. van der Muelen *ad Gr. h. c.* §. *18.* Crusius *de nocte c. 17. n. 4. seqq.* Puf. *V. 6. 2. & 3.* Lauterb. *Coll. Th. Pr. tit. Loc. Cond.* §. *53. 56. & 91.* Dissent. Grot. §. *18.*

Qu. XXVI. *Si eadem opera pluribus simul possit esse utilis, nec tamen mihi fiat laboriosior, quam si eandem uni saltem impenderem, an à singulis in solidum mercedem vel honorarium exigere possum?*

℟. Aff. si operæ sint artificiales, quæ

pluribus communicatæ *vilescerent*. Si non vilescant, invito eo, qui solus tantum promisit, quantum plures solverent, alios admittere non possum, quia per contractum isti soli in meam operam jus quæsitum est; & si isto consentiente plures admittantur, æquum ut huic cæteri *ratam partem* mercedis vel honorarii contribuant. Puf. *d. l.* §. *4*. Aliter Grot. §. *19*.

Qu. XXVII. *An in mutuo usuræ J. N. sunt licitæ?*

℞. Aff. si sint *moderatæ*, quæ respondent lucro quod alter ex pecunia mea facit, meoque damno aut lucro cessanti, quod ex absentia pecuniæ meæ capio, sic enim, quia justum pro usu aliarum rerum mearum mercedem exigere, etiam non erit iniquum pro usu pecuniæ meæ. Non sunt licitæ, si sint *mordentes*, seu ultra istam æstimationem, aut quæ exiguntur ab egenis, apud quos mutuum eleemosynæ vicem subit, de quibus intelligenda loca *Exod. XXII, 25. Levit. XXV, 35. seqq.* Grot. §. *20*. Puf. *V, 7. 9*. Selden *de*

J. N.

J. N. & G. juxta Discipl. Ebr. L. 6. c. 9. seq.

Qu. XXVIII. *Quid de montibus pietatis habendum?*

℞. *Montes pietatis* vocantur, si magna pecuniæ quantitas à ditioribus in commune confertur, hoc fine, ut mutuum inde pro pignore qualicunque capere posſint pauperes, soluto aliquo singulis mensibus pro sustentatione ministrorum, quibus montium cura commissa. In se nihil vitii habent, quia ex illis pauperibus pro modicis impensis succurritur, nisi aliundè impietas illis accedat vid. Grot. §. *21. &* Marquard *de Jure Mercaturæ Lib. 4. c. 4. n. 32. seqq.* De requisitis eorum vid. Stryk. *in Caut. Cont. S. 2. c. 1. §. 32.*

Qu. XXIX. *Cur tantopere improbatur abnegatio depositi?*

℞. Quia est turpior furto. In hoc enim *tantum justitia*, in abnegatione depositi *justitia & amicitia* simul læditur, Multo autem turpior fit, si contingat in deposito miserabili, h. e. quod ob periculum incendii, ruinæ, tumultus deponitur. Puf. *V. 4. 7.*

Qu. XXX. *Quomodo partes damni & lucri in societate negotiatoria dicuntur æquales & inæquales?*

℞. Si paria ſint, quæ conferuntur, ſive ſit pecunia ſive ſint operæ, partes etiam ſunt æquales in lucro & damno; ſi non ſint paria, partes etiam inæquales ſunt, quia partes lucri & damni exactum habent reſpectum ad ſortem. Grot. §. *24*.

Qu. XXXI. *Poteſtne ſociorum aliquis particeps eſſe lucri, & immunis damni?*

℞. Id præter naturam ſocietatis eſt, ſine injuria tamen *ita conveniri* poteſt, in quo ita ſervabitur æqualitas, ſi tanto plus lucri ferat, quam alioqui laturus fuerat, qui in ſe damnum recepit. At ut quis damnum ſentiat ſine lucro, id â natura ſocietatum abhorret. Grot. §. *24. n. 3.* Puf. *V. 8. 3.*

Qu. XXXII. *Omnium bonorum ſocietate inita, quid obſervandum?*

℞. Singuli ſocii, quæ lucrantur, fideliter conferre debent, & ex communi maſſa *pro ratione conditionis ſuæ* ſinguli ſuſtentari. Soluta vero ſocietate diviſio bono-

bonorum fit pro ratione eorum, quæ singuli societati initio intulerunt, non attendendo, per cujus bona societati lucrum aut damnum provenerit, nisi aliter sit conventum. Grot. §. *24. in f.* Puf. *V. 8. 4.*

Qu. XXXIII. *Finita societate ad quem pertinet periculum rerum collatarum?*

℞. Si *plures conferant pecuniam*, quilibet feret periculum suæ sortis, quam præcipuam quoque habet soluta societate: si alter *conferat pecuniam & alter operam*, tunc aut opera confertur cum *solo pecuniæ usu*, & periculum pertinet ad solum dominum, eique soli salva manet; aut opera confertur *cum dominio pecuniæ*, & habetur quasi pretium sorti adjectum, & si pecunia pereat, damnum erit commune, sicut & si societas solvatur, is, qui operam tantum impendit, particeps fit sortis. Grot. §. *24. n. 2.* Puf. *d.* §. *c. 8.* §. *2.*

Qu. XXXIV. *Quomodo computatur lucrum & damnum in societate navali vel bellica?*

℟. Hæc ſocietas, quam etiam *Admiralitatem* vocant, inſtituitur ad communem diverſorum mercatorum defenſionem adverſus hoſtes. Hinc præda illis communis eſt, & damna quoque communiter feruntur, in quibus ſunt & vulneratorum impendia. Ut verò conſtet de quota parte damni ferendi, æſtimantur naves & quæ in navi ſunt, & ex his computatis quisque dominorum navium reſarcit damnum pro ea parte, quam in ſumma habet. Grot. §. 25. *ibique* van der Muelen. Loccen. *de jure maritim. Lib.* 2. *c.* 2. Kuricke *Jus Marit. Hanſeat. Tit.* 7.

Qu. XXXV. *Quomodo æqualitas ſpectatur in cateris contractibus?*

℟. De illis ad formam jam indicatorum contractuum facile judicari poteſt, & latius de illis in Jurisprudentia particulari agitur, cujus ſcita non inventum Juris Romani ſunt, ſed ejusmodi quid, quod ex naturali æquitate depromptum eſt. Grot. §. 13. *n.* 2.

Qu. XXXVI.

Qu. XXXVI. *Quid si desiderata æqualitas non fuit observata?*

℞. Ad præcidendas infinitas lites, apud omnes gentes, quando nihil fraudis intervenit, & læsio non sit gravissima, contrahentibus se naturaliter circumvenire licet, ut nullum competat remedium contra plus accipientem, quia contrahentes exactam quandam æqualitatem scrutari, cognoscere & vix servare possunt. Grot. §. *26.* Sande *L.3. Dec. Fris. tit. 4. def. 11. ibique Annot.* Molina *de J. & J. Tr. 2. Disp. 350. vid. supr. qu. 8. h. c.*

Qu. XXXVII. *Quid sunt contractus qui aleam continent?*

℞. Omnes ii, quibus super incerto eventu convenitur, aut in quibus utrinque consentitur in casum incertum, cujus eventu utrimque staturos sese esse profitentur. Tales sunt *inter Privatos: Emptio spei, Assecuratio, Sponsio, Ludi, Lotaria, Olla fortunæ &c.* & *inter Respublicas*, qui tam *pacis* in officiis distribuendis, quam *belli* tempore, ut ejus finis in eventum pugnæ conferatur, celebrantur,

quorum omnium est proprium, quod læsio in iis non attendatur. Puf. *V. 9. 1. 2. & 3.*

Qu. XXXVIII. *Quid est Emptio Spei?*

℟. *Est, quando non certa res, quæ naturali ordine, sed saltem probabilis spes & quod per accidens existere potest, emitur.* e. gr. *jactus retis.* vid. Ærod. *Rer. jud. lib. 4. tit. 7. c. 1.*

Qu. XXXIX. *Quomodo differt ab emptione rei speratæ?*

℟. Hæc est: *quando id emitur, quod ex naturali ordine certo tempore existere solet v. gr. fructus ex vinea mea. Illa* pura est, & inde licet nihil captum, integrum tamen pretium debetur, quia spes vel alea est loco rei venditæ. *Hæc* sub conditione facta est, si fructus nati fuerint. Hinc si nulli nati, pretium etiam non debetur, si autem aliqui nati, quamvis admodum rari, emptor ad integrum pretium solvendum obligatur. Puf. *V. 5. 6.* Stryk. *in Caut. Contr. S. 2. c. 8. §. 9. & 10.*

Qu. XL. *Quid est Assecuratio?*

℟. *Est*

℞. *Est de periculo mercium alio transvehendarum pro certo pretio suscipiendo inita conventio.* Periculi nomine hic venit, quicquid extrinsecus accedit, tempestate, piratis, arrestis &c. non quod ex natura aut vitio mercium *L. 15. §. 2. ff. Locati cond.* Loccen. *de jure marit. L. 2. c. 5.* Marquard. *de jure Mercat. L. 2. c. 13.*

Qu. XLI. *Ut valeat assecuratio quid requiritur?*

℞. Ut *eventum* tam assecurator quam assecuratus *nesciat.* Si enim jam ille sciverit, navem cum mercibus salvam in portum advenisse, vel si mercator merces jam periisse notum habeat, non valet assecuratio, quia cautio tantum præstatur *ob periculum quod metuitur*, quale non est vel præteritum vel planè non instans: Grot. §. 23. Coccej. *Diss. de Assecurat. §. 17. seqq.* Hertius *L. 1. Parœm. Jur. Germ. 43. per tot.*

Qu. XLII. *Quomodo facienda æstimatio pretii?*

℞. Pro magnitudine periculi intendi aut omitti potest, ut major sit si piratæ aut hostes etiam, quam solæ tempestates me-

metuantur, major etiam in hyeme quam æstate. Puf. *V. 9. 8.* Stypman. *de jure marit. P. 4. c. 7. n. 315. seqq.*

Qu. XLIII. *Quid sunt Sponsiones?*

℞. *Sunt conventiones, quibus de veritate vel eventu alicujus rei contendentes aliquid ponunt vel promittunt, ea lege ut victori cedat.* Requiritur ut fiant super causa honesta & circa eventum utrimque adhuc ignotum, nam si saltem alteruter sciat casum extitisse, sponsio non valet. Nisi alter præfractè contradicat, nec alterius asseverationi certæ acquiescere velit. Puf. *V. 9. 4.* Becm. *Doctr. moral. c. 8. §. ult.* Laut. *Coll. Th. Pr. tit. de Aleat. §. 22. seqq.*

Qu. XLIV. *Quid est Ludus?*

℞. *Est actus, quo luditur in victoriam jucunditatis & recreationis gratia.* Vel si consideratur ut negotium, ex quo aliquod jus oritur, est: *Conventio, qua inter plures super re utrimque proposita conventum, ut qui in lusu victus fuerit, rem suam perdat, & victor utrumque auferat.* Est vel *Artis* qui sola arte, virtu-

tis

tis & ingenii gratia, exercetur, vel *Fortunæ* in quo fortuna dominatur, vel *Mixtus*, in quo à virtute & arte simul victoria pendet. Puf. *d.l.* §.5.

Qu. XLV. *An omnes hi ludi naturaliter liciti?*

℞. Aff. quia ineuntur super re propria, cujus quisque est moderator & arbiter. Si enim permissum est regulariter cuivis, rem suam simpliciter donare, nihil obstat, quo minus eam possit ludendo perdere, & quasi sub conditione: *si me viceris* ludo donare. Attamen ob abusus & mala provenientia Magistratus illos vel plane tollere vel Legibus severis constringere potest. Puf. *d.* §.5. Dissent. Ames. *de Conscient. l.4.c.23.qu.3.*

Qu. XLVI. *Quid Lotaria?*

℞. Lotaria à belgico *Loten*, *sortiri*, est, *quando plures de re, quam collatitia pecunia emunt, post sorte decernunt, cui vel quibus ea cedere debeat.* Ejus contractus *Lex* est, ut tota summa collatitiæ pecuniæ simul adæquet, non excedat valorem mercis, & ipsi sortientes omnes æqualiter utri-

utrique fortunæ lucri & amissionis subjiciantur. Puf. *d. l.* §. *6.* Becm. *d. l.* §. *13.*

Qu. XLVII. *Quid Olla fortunæ?*

℞. Illa vocatur, *quando dejecto in urnam certo tesserarum seu schedularum numero, inscriptarum & inanium, pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum inscriptio præ se fert.* Ejus *Lex* est, ut pretium omnium simul schedularum non multum excedat pretium rerum ibi expositarum. Puf. §. *7. ibique* Hertius Struv. *S. J. C. Ex. 15. th. 58.*

CAPUT XIII.

De Jurejurando.

Qu. I. *Quæ causa quod juramenta invaluerint?*

MAlitia hominum religioni sibi non ducentium cum aliis perfidè agere, hinc huic malo medendo positum juramentum est. Dn. J. S. Stryke *Meletem. de Juram.* 4. §. 2.

Qu. II. *Ergonè certior fides, quæ mediante juramento data?*

℞. Aff.

℞. Aff. quia *Juramentum est assertio religiosa, quâ Divinæ misericordiæ renuntiamus, aut divinam pœnam in nos deposcimus, nisi verum dicamus.* Hinc quia Deus super asserto ut testis omniscius & simul omni potens vindex invocatur, nemo tam impius creditur, ut petulanter tantum periculum salutis accersere sibi velit. Et ideo apud omnes populos maxima semper vis jurisjurandi fuit, gravisque pœna perjuris imminere nunquam non creditum est, ita ut & posteritas majorum delicta lueret. Grot. *III.13.1.*

Qu. III. *Quis finis est juramenti?*

℞: *Generalis* est ut certus & securus reddatur qui cum res est, de veritate & impletione eorum quæ dicuntur & promittuntur. *Specialis* ut lites & controversiæ intricatæ decidantur *ad Hebr. VI, 16.* Grot. §. *13.*

Qu. IV. *An novam & peculiarem obligationem in se producit?*

℞. Neg. sed obligationi jam factæ & in se validæ velut accessorium quoddam vinculum superadditur. Hinc actus, qui-

bus

bus in se vitium adhæret obligationem impediens, obligatorii non sunt, utut juramentum accesserit. Puf. *IV.2.6.* Becm. *M. Pol. cap.5.* §. *10.* Budd. *Select. J. N. & G. Exerc. ult.* §. *70.* Dissent. Zentgrav. *de Orig. J. Gent. Art. 4.* §. *26.*

Qu. V. *An per subsequens juramentum antegressa valida obligatio eliditur?*

℞. Neg. Jus enim semel acquisitum, quia peperit obligationem præstandi, per contrarium juramentum tolli nequit. Inde frustra quis juravit, sese alteri debitum non soluturum. Puf. *d. l.*

Qu. VI. *Quid ergo efficit juram. si neque novam obligationem producit, neque priorem tollit?*

℞. Propter interpositam Dei invocationem, quem nemo astu decipere aut ei impunè illudere potest, vinculum conscientiæ injicit, & operatur, ut non solum atrocior pœna censeatur manere eum, qui juratam quam qui injuratam fidem fefellit, sed & ut â negotiis, quibus adjicitur juramentum, omnis dolus & cavil-

villatio excludatur. Puf. *d. l.* Thomaſ. *II. 9. n. 16.*

Qu. VII. *Quotuplex eſt juramentum?*

℞. Eſt vel *Promiſſorium*, quod ad aſſecuranda futura adhibetur & tam circa publicas quam privatas cauſas præſtatur, vel *Aſſertorium*, quod ad decidendas controverſias adhibetur, ſeu ad confirmanda præterita circa factum illiquidum. Puf. §. *18. ſeqq.* Thomaſ. *d. l. n. 11. ſeqq.* vid. Teſm. *ad §. 22. lit. a.*

Qu. VIII. *Quid in jurante requiritur?*

℞. Animus rationis compos & deliberatus. Hinc infantes, furioſi, profundè ebrii jurare nequeunt. Grot. §. *2.* Setſer. *de Juram. Lib. 1. c. 4. ſeqq.*

Qu. IX. *Quid ſi quis nolens jurare verba protulerit jurantia?*

℞. Non ſe obſtrinxit juramento, quia mens eſt quæ jurat, non lingua. Itaque magiſtratus qui alteri verbis in juramentum conceptis præit, non jurat. Grot. §. *2.* *ibique* Oſiand. *Obſ. 1.* Uffelm. *de Jure quo homo homini in ſerm. oblig. c. 8. n. 8.*

Qu. X.

Qu. X. *Quid vero si quis volens jurare proferat verba jurantia, in mente tamen sua sibi reservet, quod nolit obligari?*

℞. Nihilominus erit obligatus, quia verba jurantis obligant in sensu, quo ea creditur accepisse, cui juratum est. Alias omnis *usus juramentorum*, imo omnis ratio externis signis sese obligandi ex humana vita tolleretur, si quis tacita sua reservatione possit impedire, ne effectus ille actum aliquem sequatur, cui producendô idem institutus est. Grot. §. *3*. Puf. *IV. 2. 5*. Uffelm. *d. l.* §. *9*. Amesf. *de Conscient. L. 4. c. 22.* §. *17. qu. 5*.

Qu. XI. *An juramentum dolo elicitum obligat?*

℞. Neg. quia jurans supponit: factum, ut ab altero propositum, ita se habere. Quod si illud revera ita se non habeat, nec videtur deliberato animo jurasse, inde hujusmodi juramenti nulla efficacia. Grot. §. *4*. Puf. §. *7*. vid. Tesm. *ad Grot.* §. *4. lit a. & d.*

Qu. XII.

Qu. XII. *Quid si injusto metu juramentum extortum?*

℞. Ut ex promissione metu inita illum inferens capax non est recipiendæ obligationis *supr. c. ii. qu. 21.* ita nec ex juramento injusto metu extorto, quia juramentum non novam obligationem producit, sed tanquam accessorium sequitur naturam obligationis principalis. Puf. §. 8, Stryk. *Meletem. de Juram. 3. c. 2.* §. 14.

Qu. XIII. *Verum licet ex tali juramento personæ nullum jus quæsitum, annon Deo jus quæsitum erit?*

℞. Nec Deo hic jus aliquod erit quæsitum, quia tantum ut testis super promisso homini facto & ob metum nullo invocatus, testi autem ex testimonio suo nulla acquiritur obligatio. Nec apparet, quo favore Deus velit talia juramenta impleri, cum omnino hanc iniquitatem hominum improbet. Si quis tamen ex ductu *teneræ conscientiæ* suæ hujusmodi juramentum servandum esse putet, etiam in conscientia obligatus erit. Puf. §. 8. Hennig. *ad Gr.* §. 14. Hertius. *Com-*

ment. de Lytro. Sect. 2. §. 24. & L. 2. Paræm. 31. seq. Dissent. Grot. *§. 14. ibique* Tesm. & van der Muelen *p. 489.* Franzk. *L. 2. Ref. 2.* Osiand. *ad Gr. th. 14.*

Qu. XIV. *Num obligat juramentum super re illicita?*

℞. Neg. quia absurdum est invocare vindictam divinam, ni aliquid feceris, quod cum comminatione pœnæ à Deo est interdictum, adeoque reverentia Dei velutin ipsius ignominiam abuti. Grot. *§. 6. ibique* Tesm. Puf. *§. 9.* Setser *de juram. L. 1. c. 17. n. 6. seqq.*

Qu. XV. *Quid si non omnino quidem illicita, sed tamen per juram. impediatur majus bonum morale?*

℞. Juramentum hoc ad servandum non obligat, quia profectum in bono & officiis humanitatis proximo & Deo debemus, qui vult, ut pro virili enitamur ea aliis præstare, ita ut nostro actu nos exsolvere officio per jus divinum nobis injuncto non valeamus. Huc pertinet si quis juret, se artem suam cum aliquo non esse communicaturum, se officium aliquod

quod publicum non susceptūrum. Grot. §. 7. *ibique* Ziegl. Puf. §. 10. vid. Uffelm. *d. l.* §. 13. Thomaſ. *d. l. n. 22. ſeq.*

Qu. XVI. *Si juram. præſtitum ſuper re omnino impoſſibili?*

℞. Non obligat, quanquam graviter peccat, qui ita temerè jurando abutitur divino Numine. Si tantum pro tempore aut ex ſuppoſitione eſt impoſſibilis, in pendenti eſt obligatio, & exiſtente tempore jurans tenetur verum facere, quod juravit. Grot. §. 8. & 9. Puf. §. 11.

Qu. XVII. *Quæ eſt forma juramenti?*

℞. *Subſtantialis* eſt invocatio Dei tanquam teſtis vel fidejuſſoris, aut ſi pejeratum ſit, vindicis e. gr. Deus teſtis & vindex ſit ſi fidem feſellero. *Accidentalis* conſiſtit in ſolennitatibus & ſymbolis ad majorem jurijurando conciliandam reverentiam adhiberi ſolitis, ut eſt erectio digitorum in viris, manus mulieris dextræ ad ſiniſtrum pectus impoſitio. *Geneſ.* *XXIV, 9.* Grot. §. 10. Setſer. *d. l. 1. c. 15.* Uffelm. *d. l.* §. 14. *ſeqq.*

Qu. XIIX. *An per Principis salutem aut aliam creaturam jurare licet?*

℞. Neg. quia religiosa invocatio Principi aut alii creaturæ non debetur, & præter Deum nihil est omniscium & omnipotens, inde absurdum juramentum concipitur per rem aliquam quæ opinione divinitatis destituitur, hoc sensu, ut illa res ultrix perjurii invocetur. Nec in V. T. asseverationes per vitam Pharaonis *Gen. XLII, 15.* per animam Jonathanis *1. Sam.* XX, *3.* per animam Eliæ *2. Reg. XI, 4.* juramenta fuerunt, sed tantum civiles obtestationes, quibus in vulgari loquendi usu res nobis charas quasi pignori interponere solemus ad faciendam fidem Grot. §. *11. n. 2.* Puf. §. *3.* Usfelm. *d. l.* §. *18. & seqq.*

Qu. XIX. *An est juramentum, cum quis execretur: Diabolus me abripiat?*

℞. Neg. quia non invocatur Numen divinum in testem sed mala nobis imprecamur per diabolum, qui creatura est & hostis

hoſtis veritatis. Setſer. *d. l. c. 15. n. 45.* Textor *in Synopſ. J. Gent. c. 27. n. 11.*

Qu. XX. *Si Atheus juret per Deum, quem nullum credit, an verum juram. eſt?*

℞. Aff. quia omne juramentum æſtimandum ex ſui ipſius natura & intentione illius cui juratur, licet ab his cogitationes jurantis longe diverterint vid. *Diſp. ſub. præſid. noſtr. hab. de Juram. Athei.*

Qu. XXI. *Ad cujus religionem formula juramenti eſt accommodanda?*

℞. Ad illius religionem, quam circa Deum fovet qui jurat, alias fruſtra terretur conſcientia alicujus, qui jurat per Deum quem non diligit adeoque nec metuit, quod tamen in juramento intenditur. Pufend. *IV. 2. 4.*

Qu. XXII. *An ergò obligatur, qui per falſos Deos jurat?*

℞. Aff. ſi illos pro veris Diis habet, quia quidem ſub falſis notis, generali tamen conceptu Numen intuetur, & verus Deus, ſi pejeratum ſit, in ſuam injuriam id factum interpretatur. Grot. §. *12. ibi-*

que van der Muelen & Tesm. Balduin. *de Caſ. conſc. L. 2. c. 9. caſ. 3.*

Qu. XXIII. *Poteſtne Chriſtianus ſalvâ conſcientia tale juram. à Gentili exigere?*

℟. Aff. quia non intendit perverſitatem juramenti, ſed tantum confirmationem fidei, & ut evitetur perfidia. Nam eveniret, ut jurantes per verum Deum in quem non credunt, facilius fallerent, quam ſi jurent per id, in quod credunt. Teſm. Hennig. & Oſiand. *ad Gr.* §. *12.* Uffelm. *d. l.* §. *27.* & *28.* Zentgrav. *de Orig. J. Gent. art. 4.* §. *25.*

Qu. XXIV. *An obligatio Jurisjur. etiam heredes ſtringit?*

℟. Si ex juramento *alteri perfectum jus quæſitum*, etiam heredem ſtringit, quia hoc onus bonis adhæret, in quæ hæres ſuccedit. Si nemini perfectum jus quæſitum, ipſaque obligatio tantum in *pietate*, *fide ac conſtantia jurantis fundata*, non tenetur heres, quia illa jurantis perſonam non egreditur. Imo ſi in priori caſu non præſtet heres factum defuncti, per-

perfidus tantum non etiam perjurus erit, quia juramentum devotionem sui ipsius continet, sed heres se ipsum non devovit. Grot. §. 17. & 18. Puf. §. 17. Uffelm. §. 38. & 39.

Qu. XXV. *Si integer populus juravit, an Successores religione jurisjurandi afficiuntur?*

℞. Neg. quia voluntas *personæ moralis* non nisi *derivatione à singulis* per juramentum afficitur, adeoque *successores* qui corporaliter non jurarunt ob violatum juramentum *perfidi* quidem fiunt, non autem *perjuri*. Nisi juramentum à singulis posterorum fuerit repetitum. Puf. *d.* §. 17.

Qu. XXVI. *An quis in animam alterius jurare potest?*

℞. Aff. si 1. negotium tale sit, ut per alium curari possit v. gr. pactum, contractus, fœdera. 2. si mandatarius speciali mandato sit instructus ad juram. præstandum. Sic enim *principalis ipse* jurasse videtur, quando juravit per alium, adeò ut si pejeratum sit non mandatarius, sed

abſens principalis pro perjuro habeatur. Puf. §. *16.* Uffelm. §. *36. & 37.* Diſſent. Dn. J. S. Stryk. *Meletem. de Juram. 2. cap. 1. §. 27. ſeqq.*

Qu. XXVII. *Quid ſi ex juramento jus alicui quæſitum, & is remittat illud?*

℟. Non tenetur qui juravit, quia Deus ratum & acceptum habet jusjurandum in commodum & *favorem partis*, quæ ſi favori ſuo renuntiat, vis jurisjurandi diſſolvitur. Ita nec amplius ex juramento ſuo tenetur, ſi *ceſſet qualitas* ſub qua alicui juravit, ut ſi magiſtratus deſinat eſſe magiſtratus. Grot. §. *18.* Hert. *Lib. 1. Parœm. Jur. germ. l. 32.* Zoeſ. *ad ff. tit. de Jurej. n. 88.* Uffelm. §. *43. & 45.*

Qu. XXVIII. *An quod contra juram. fit, illicitum tantum, an & irritum eſt?*

℟. Diſtinguendum an *ſola fides juramento adſtricta* v. gr. juro me non mutaturum teſtamentum, ſi muto illud, actus hic quidem vitioſus eſt & ego ſum perjurus, ſed tamen teſtamenti mutatio valebit;

bit; an juramentum ita conceptum, ut ſimul *contineat plenam abdicationem poteſtatis ad actum.* v. gr. juro me plane nullam velle habere poteſtatem teſtandi, ſi contra fecerim, non tantum ero perjurus, ſed & teſtamentum factum erit irritum, propter defectum facultatis à me abdicatæ. Grot. §. *19*. Puf. §. *11*.

Qu. XXIX. *An juramenta inferiorum ſubjacent imperio ſuperiorum?*

℞. Aff. quia habent ſummam poteſtatem in inferiorum perſonas, ergo etiam in eorum verba & promisſiones. Unde *diſpenſationes* & *relaxationes juramentorum* deſcendunt. Kulpiſ. *Coll. Gr. h.c.* §. *5*.

Qu. XXX. *Quid efficiunt iſtiusmodi relaxationes?*

℞. Non quidem efficiunt, ut jusjurandum, quatenus verè fuit obligatorium, non ſit exſolvendum, ſed, quoniam voluntas imperantium, velut *conditio ſine qua non*, ineſt juramentis ſubditorum, quatenus in illorum præjudicium, ſe ne-

mo efficaciter obligare potest, efficiunt ut demum subsistant declaratâ ista voluntate. Grot. §. 20. Puf. §. 24.

Qu. XXXI. *In quem dirigitur hæc voluntatis declaratio?*

℞. Vel in *personam jurantis* irritum reddendo juramentum antequam præstetur, aut vetando ne impleatur quod juratum est; vel in *personam ejus cui juratur* tollendo ab eo, quod ei partum est, aut vetando, ne quid ex tali juramento accipiat, quod aliquando in pœnam, sæpe ex vi dominii eminentis accidit. Grot. §. 20. *n.* 3. Stryk. *Melet. de Juram.* 3. *c.* 2. & 3.

Qu. XXXII. *An aliquando fides injurata habet vim juramenti?*

℞. Aff. ex more Gentis, quo fides adstringitur dextris datis, ea vi ut ni impleatur promissum, promissor non minus *detestabilis* habeatur, quam si pejerasset. Præcipuè de regibus virisque Principibus dictum est usitatissimum: fidem eorum pro jurejurando valere. Grot. §. 22. *ibique*

que Hennig. Frantzk. *ad ff. tit. de Jurej. n. 25. seqq.*

CAPVT XIV.

De eorum qui summum imperium habent promissis & contractibus & juramentis.

Qu. I. *Habentne promissa, contractus & juramenta summorum Imperantium peculiares quæstiones?*

Aff. & quidem circa id, quod iis licet in *actus suos*, in *subditos* cum quibus contraxerunt, & in *successores* ut actibus à se gestis teneantur. Grot. *II. 14. 1.*

Qu. II. *An Rex læsus in aliquo contractu se ipsum in integrum restituere potest?*

℞. Aff. ad exemplum illorum, qui in naturali libertate vivunt. Hi enim, uti ipsi rerum suarum sunt arbitri, ipsique si ab altero in pacto læsi, per se restitutionem aut supplementum exigere possunt, ita etiam rex, utpote gaudens naturali libertate, si pacto suo vitium aliquod inesse deprehenderit, per se ipsum alteri de-

declarare poteſt, ſe ex vitioſo illo pacto nolle teneri. Modo læſio & injuria ſit manifeſta. Nam ubi ea dubii quid habet, par fuerit per arbitros rem definiri. Pufend. *VIII. 10. 2.* Conring. *de Fimb. Imperii L. 2. c. 19. §. 18.*

Qu. III. *An hæc obtinent ſive Rex contraxit ut rex, ſive ut alius privatus?*

℟. Aff. quia utroque caſu pro reparanda læſione *æquitas* militat. Nec obſtat, quod in priori caſu actus regis perinde ſint, ac ſi ipſa communitas feciſſet, & communitas ſe ipſa non eſt ſuperior; nam hoc non ſimpliciter ſed tantum *inter cives* requiritur, ut reſtitutio à ſuperiore fiat, quod ſi ſuperior deſit, quisque ſibi jus dicit & ſe reſtituit. Oſiand. *ad Grot. h. c. th. 1.* Felde *ibid.* Diſſent. Grot. *h. c. §. 1. n. 2.*

Qu. IV. *Sed reſtitutio in integrum eſt Juris civilis, ergo ad reges non pertinet?*

℟. Imo *origine* eſt juris naturalis, quod dictat, ob metum, dolum, minorennitatem, abſentiam, aliamque juſtam cauſam

læſis

læsis esse succurrendum, eosque in pristinum statum esse reponendos. *Modo & solennibus* est juris civilis. Ziegl. *ad Gr. h.c.* §.*1.* Dissent. Grot. *d.* §.*1, n.2. ibique* Tesm. *lit. n.*

Qu. V. *An pacta per tutores inita Rex prætextu minorennitatis revocare potest?*

℞. Aff. sive cum subditis sive cum extraneis inita, si *evidens adsit læsio*, quia contrahens sibi imputare debet, quod in contractu desideratam æqualitatem non observaverit. Aliter Puf. *VIII. 10. 3.* Hert. *Opusc. Tom. I. Comment. de Tutela regia S. 2.* §.*12.* Ob *solam* vero *minorennitatem* non admittenda restitutio, quia minueret regis autoritatem, ex ætatis lubrico velle restitui, cum ante annos ad sapientiam pervenisse credantur. Tesm. *ad Gr.* §.*1. lit. m.* Dissent. Ziegl. *h.* §.

Qu. VI. *An rex juramentum suum rescindere potest?*

℞. Si juramentum in se validum, non potest, eo scilicet obtentu, quod quædam suorum subditorum juramenta rescinde-

re

re possit. Nam horum juramenta jam antea in se habebant hanc conditionem, nisi superior noluerit. At ut ab alicujus arbitrio stet facultas præstandi vel non, nulla contrahi potest obligatio. Pus. *d. l.* §. 5. Stryk. *Meletem. de juram.* 3. *c.* 2. §. 37. Aliter Grot. §. 3.

Qu. VII. *An valent à regibus facta emptio & venditio sine certo pretio, locatio & conductio sine certa mercede?*

℞. Neg. nam talia non sunt *inventa Principum*, quæ tolli possent ad arbitrium eorum, sed de *essentia* & substantia contractuum, quæ à nullo Principe possunt mutari. Grot. §. 5. *ibique* Ziegl.

Qu. VIII. *An ex contractu Regis cum subditis inito valida & perfecta nascitur obligatio?*

℞. Aff. adeò ut ex ea obligatione jus sit subditis actionem instituendi quod in *propriis imperantium tribunalibus* conceditur, remisso Consiliariorum juramento. Sed tamen regis intuitu non fit alio effectu, quam ut declaretur Jus cre-

creditoris, exactio vero sequi non potest, si ille sponte obligationi satis facere nolit. Grot. §. *6.* Puf. *d. l.* §. *6.*

Qu. IX. *An potest Rex subditis jus quæsitum auferre?*

℞. Potest citra distinctionem, an jus quæsitum sit ex jure naturali, an ex jure civili, & quidem duplici modo, aut *in pœnam* aut ex *vi dominii eminentis*. Ut tamen hic necessitas Reip. antecedat, & ex æquitate ei, qui suum amisit, compensatio fiat ex communi. Grot. §. *7. ibique* Tesm. Puf. §. *7.*

Qu. X. *An jus exterorum etiam eminenti dominio subest?*

℞. Quia tempore *necessitatis* jus est occupandi bona exterorum, quæ non sunt in meo territorio, non minus jus erit in bona illorum quæ sunt in meo territorio ex eadem necessitate. Unde bona exterorum in portibus suis deprehensa possunt Principes attinere & comprehendere. vid. Thuan. *Histor. Lib. 46. p. 943.* Bœcl. *ad Grot. L. 2. c. 2.* §. *10. p. 118.* Dissent. Grot. §. *8.*

Qu. XI.

Qu. XI. *An contractus Regum sunt leges?*

℞. Neg. quia ex promissis & contractibus jus nascitur adversus regem, non ex legibus, quas si revocet nemini facit injuriam. Quædam tamen ex contractibus & legibus mixta esse possunt. Grot. §. 9. *ibique* van der Muelen.

Qu. XII. *An ex Regum contractibus tenentur successores?*

℞. Distinguendum an in *regno patrimoniali* sint *heredes* omnium bonorum, an in *non patrimoniali* saltem in *jus regni* succedant, an *partim in bona*, in *jus regni* vero *in solidum*.

Qu. XIII. *Quid ergò in primo casu obtinet?*

℞. Successores æquè ac privati ex promissis & contractibus antecessoris Regis tenentur. Pro *debitis* enim, etiam personalibus, bona defuncti, ut obligata sint, ipsi rerum dominio coævum est. Grot. §. 10.

Qu. XIV. *Quid in secundo?*

℞. *Directè* tales successores non obligan-

gantur, quia jus non accipiunt ab eo, qui proximè decessit, sed à populo; tenentur tamen per *interpositam civitatem*, quatenus hæc imperium transferendo, facultatem quoque Regi concessisse censetur, ut per eum, tanquam *caput suum*, efficienter possit obligari. Nam in moralibus qui dat finem, dat ea quoque quæ ad finem perducunt, cum sine tali facultate nullum regi est remedium expediendi negotia civitatis. Grot. §. 11. Pufendorff. *VIII. 10. 8.*

Qu. XV. *Quid in tertio?*

℞. Si contractus ratione bonorum initi, ex illis etiam successores tenentur; si non ita initi, observanda modo prolata distinctio *quæst. præc.*

Qu. XVI. *An potestas populum obligandi se extendit in infinitum?*

℞. Neg. quia *infinita* obligandi potestas ad imperium rectè exercendum non est necessaria. Neque tamen ea ad tales *angustias* redigenda est, ut instar Gestoris non aliter contractus regentium

obligent, quam si in præsentem utilitatem Reipubl. evaluerunt. Tunc igitur Rex validè obligabit populum, quando *probabilem* contrahendi habuit *rationem*, qualem in dubio ob regentium autoritatem adfuisse *præsumi* debet, sive postea exitus respondeat rationi regis sive non. Grot. §. *12. n. 1. & 2. ibique* Tesm. *lit. a. & f.* Puf. *d.* §. *8.*

Qu. XVII. *An donationes ac privilegia regnum semper revocari possunt?*

℞. Si ex probabili causa & cum *plena juris translatione* factâ, nec à concedente, nec à successore revocari possunt, quia semel accipienti jus est quæsitum. Si privilegia duntaxat *vinculum legis demunt* sine ullo contractu, revocari possunt, nullum enim hic jus quæsitum est adversus Legis autorem, à quo sublata reponi potest. Grot. §. *13. ibique* Hennig. Puf. §. *9.*

Qu. XVIII. *An populi tenentur contractibus eorum, qui imperium invaserunt?*

℞. Non

℞. Non tenentur, quamdiu rex aut populus cum invasore de imperio & libertate *certat*, quia eatenus jus non habuit obligandi populum. Tenentur vero, postquam in invasoris imperium *consenserunt*, quia imperia vi primum parta, possunt ex voluntate subsequente jus firmum accipere. Ziegl. & Hennig. *ad Grot. h. c.* §. *14.* Dissent. Grot. §. *14.*

CAPVT XV.

De

Fœderibus & Sponsionibus.

Qu. I. *Quid sunt fœdera?*

SUnt pacta publica inter *summos Imperantes* inita in communem vel alterius utilitatem.

Qu. II. *Quomodo dividuntur fœdera?*

℞. Dividuntur 1. ratione *materiæ* in ea, quæ *idem constituunt, quod iuris est naturalis*, utpote de simplici humanitate exercenda, vel non inferenda noxa, & ea, quæ *juri naturæ aliquid adiiciunt.* Illa

fœdera *amicitiæ*; hæc *peculiaris præstationis* vocantur. 2. in *æqualia*, quæ utrinque eodem modo ac conditione se habent, & *inæqualia* quæ se habent modo inæquali. Grot. *II. 15. 5. 6. & 7.* Puf. *VIII. 9. 2. seqq.* Tertia fœderum divisio in *realia & personalia* nõ omnibus probata est. Textor. *Synopsi J. Gent. c. 23. n. 25. seqq.* Thomas. *III. 8. 22. seqq.*

Qu. III. *Suntne necessaria fœdera amicitiæ?*

℞. Necessaria sunt & utilia, quando pravis moribus *Legis naturalis* dictamina sunt *obliterata* apud populum, qui latrocinari & prædas agere in exteros nullo bello indicto pro licito habet. Non necessaria sunt inter illos, qui juris naturalis observantiam *cultu morum* profitentur. Quando tamen adhibentur ad prolixiorem amicitiam contestandam, quæ alias tantum jure imperfecto debebatur, non indecorum erit. Puf. *VIII. 9. 2.* vid. infr. *L. 3. c. 9. qu. 19.*

Qu. IV. *Cuius gratia ineuntur secundi generis fœdera?*

R. Aut *pacis* aut *societatis* alicujus gratia. Æqualia pacis gratia sunt, quæ de restituendis captivis, rebus captis, & ad securitatem iniri solent. Æqualia societatis gratia aut ad *commercia* pertinent, aut ad belli *communitatem*, aut *ad res alias*. *Illius* generis sunt, ne vectigal ullum solvatur, aut ne majus, quam in præsens, aut ne supra certam quantitatem. *Istius* ut utrinque paria præstentur auxilia militum, navium, sive ad omne bellum, sive ad certum aut in certos hostes. *Huius* ne in confinio alterius alter arces habeat, ne subditos alterius defendat aut arripiat. Grot. §. *6. n. 2. ibique* Tesm. Thomas. *III. 8. 15. seqq.*

Qu. V. *Quomodo inæqualia promittuntur?*

R. Promittuntur vel à fœderato *digniori* vel à *minus digno*. Prius fit, si potentior alicui auxilia absque restipulatione, aut in majori portione quam alter promittat. Posterius contingit, si fœderatus inferior tenetur plura præstare, quam ab altero recipit. Grot. §. 7. *n. 1.* Puf. §. *4.*

Qu. VI. *An fœderatus inferior hoc ipso, quod se obliget ad certas præstationes, minuit summum imperium?*

℞. Videndum an fœdus *facultatem* & voluntatem hoc vel illud proprio arbitrio in suo territorio agendi communicet aut *adimat*; an facultatem *relinquat* & voluntatem tantum certo modo determinet ex alterius voluntate. *Priori* casu minuit fœderatus summum imperium e. gr. si actum, ne quis bellum gerat injussu alterius, quia hoc ipso me est superior, qui mihi præcipere & me jubere potest; *posteriori* non minuit, puta si ex fœdere prohibeatur certis in locis arcem exstruere, militem conscribere, quia fœderatus retinet jus arcem exstruendi, militem conscribendi, licet exercitium certo modo â promissione sua, non autem à vi superioris determinetur. Grot. §. *7. n. 2. & 3.* Puf. §. *4.* Thomas. *d. l. n. 20.*

Qu. VII. *Quid considerandum fœdus ineunti?*

℞. Cum commoda æquè ac damna sint,

ſint, quæ ex fœdere inito ſequuntur. *prudentiæ* erit, quid circa fœdus agendum. Fœdus quærentis commoda ſunt amicitia cum altero, ſecuritas in pace, in bello auxilium; incommoda, libertatis præjudicium, pericula ex rupto fœdere, odium apud vicinos. Ad fœdus ſollicitatus conſiderabit ſollicitantis candorem & calliditatem, cauſas & capita fœderis, ſpem mutui auxilii, & quæ ſunt alia. Neumeyer *de Fœder. cap. 3. 4. & 6.*

Qu. VIII. *Penes quem eſt jus faciendorum fœderum?*

℞. Penes illum, qui ſummum habet imperium, quia enim fœdera belli pacisque temporibus inſerviunt, ut inde redundantia commoda in civitatem perveniant, ille utrique tempori inſervientia fœdera pangit, & ſubditos ad ea ſervanda cogit. Puf. *de O. H. & C. L. 2. c. 7.* §. 5.

Qu. IX. *An rex regno pulſus fœdera facere poteſt?*

℞. Aff. ſi jus regni retineat, utut poſſeſſionem amiſerit. Non poteſt, ſi jus

regni penes ipsum non maneat. Grot. *L.2.c.16.* §.*17.* vid. Puf. *VIII.9.9.*

Qu. X. *Cum quibus fœdera inire licet?*

R. Cum omnibus illis, cum quibus est juris naturæ communio, aut cum quibus pacisci possumus. Budd. *Philos. Pr. P. 2. S.5.* §.*11.*

Qu. XI. *An cum infidelibus v. gr. gentilibus, Turcis &c?*

R. Jure naturæ licet, quia id jus adeò commune est omnibus, ut non admittat religionis discrimen vid. Ziegl. *de J. Maj. L.1.c.38.* §.*6.* Nec jure divino id prohibitum, quia istiusmodi fœdera nihil pravitatis intrinsecæ in se continent & inter Jacobum & Labanum. *Genes. XXXI, 44.* Salamonem & Hiramum *1. Reg. V, 12.* percussa leguntur. Ne tamen ineantur ultra summam necessitatem, & si certi simus veram religionem nullo modo in periculum adductum iri. Grot. §.*8-11. ibique* Commentat. Neumeyer. *Tr. de Fœder. c.9.* Ziegl. *d. l.* §.*7. seqq.* Becm. *M. P.*

c. 22.

c. 22. §. 4. Textor *Synopsi J. Gent. c. 23. n. 13. seqq.* Dn. Budd. *d. l. §. 11.*

Qu. XII. *An cum Atheo?*

℞. Aff. quia atheus communionem juris naturæ retinet, ut & si de ejus candore alter cui fœdere jungendus non dubitet, admitti possit, ut juramento fœdus confirmet. vid. *Disp. sub præsid. nostr. habit. de Juram. athei*, Dissent. Dn. Budd. *d. l. §. 13.*

Qu. XIII. *An infideli hoste armis grassante Christiani alii aliis auxilio esse debent?*

℞. Aff. quia omnes Christi unius corporis membra sunt, quæ jubentur alia aliorum dolores ac mala persentire, hoc autem Reges & populi præstare non possunt, nisi auxilium afflictæ parti ferant. Grot. §. *12. ibique* Ziegl.

Qu. XIV. *Si quis pluribus qui in bellum prorumpunt, sit fœdere junctus, cuinam auxilium ferre debet?*

℞. Illi fœderatorum, qui *justam* belli causam habet, si cum extraneo res sit, etiam si cum alio fœderato. Nulli *injustam*

caussam habenti ad id obligatur, ne quidem si fœderati inter se committantur. Si autem fœderati *justa de causa* in alios bellent, & utrique *pecunia* aut milite mitti possint auxilia, ea sunt mittenda; si promittentis *persona*, quæ individua est, requiratur, præferendus cum quo fœdus est *antiquius*, nisi posterius fœdus quasi imperii translationem in se contineat, puta *subjectionis* aut deditionis aliquid. Grot. §. 13. Thomas. *Disp. de Sponʃ. Rom. Caud.* §. 17. *seqq.* vid. Budd. *Sel. Jur. N. & G. Exerc. ult.* §. 88. *usque* 92.

Qu. XV. *Quid si fœderi cum extraneo inito proprii regni rationes repugnent?*

℞. Exceptionem istiusmodi fœdus hic patitur, ut fœderatus ex eo non teneatur, quia rationes proprii regni *quibusvis respectibus* privatis etiam sanguinis & affinitatis necessitudini præponderant. Hinc ad auxilia alteri mittenda ex fœdere non obligatur, qui ipse ob intestinos motus aut externa pericula ad proprios civitatis usus illis indiget. Puf. §. 5.

Qu. XVI.

Qu. XVI. *An finito tempore fœdus tacitè renovatum intelligitur?*

℟. Neg. quia nemo ad novum onus se præsumitur voluisse adstringere. Unde si qui post illud finitum exercentur actus, pro *benevolentiæ* magis quam renovati fœderis indiciis habendi erunt. Grot. §. *14. ibique* Ziegl. Puf. §. *11.* Nisi actus sint, qui nullam aliam, quam renovati fœderis interpretationem recipiat. Textor. *c. 25. n. 17. seqq.*

Qu. XVII. *Si pars una fœdus violavit an alteri licet à fœdere discedere?*

℟. Aff. nam singula fœderis capita vim habent *conditionis.* Nisi expressè aliter *conventum*, ut uno capite non servato, cætera tamen inviolata maneant. Quo casu tamen altera pars non est obstricta illud adimplere, quod capiti à fœderato neglecto respondebat. Grot. §. *15.* Puf. §. *11.*

Qu. XVIII. *Quid est Sponsio?*

℟. Sponsio *hoc loco* vid. Brunn. *de Pace Polit. Dissert. 4. th. 1.* est: *conventio publica, quæ à ministro summæ potestatis circa*

ea negotia ad eandem spectantia sine ipsius mandato initur. vid. Thomas. *d. Disp.* & *Disp. de Spons. Rom. Numantina.*

Qu. XIX. *Quomodo differunt sponsio & fœdus?*

℞. Differunt personarum facientium potestate. Fœdera enim fiunt à summa potestate vel ejus jussu, sponsiones vero à ministris sine jussu ejus. Grot. §. *3.*

Qu. XX. *An summa potestas ex sponsionibus obligatur?*

℞. Neg. nisi postquam eas ratihabuerit. Ratihabitione nulla interveniente, minister si purè & absolutè contraxerit, ipse viderit, quomodo satisfaciat illis, qui ejus fidem secuti inanibus pactis decepti sunt. Hinc sponsorum talium bona primum ad id quod interest, & si ea non sufficiunt corpora eorum ad servitutem obligantur. Grot. §. *16. n. 1.* & *4. ibique* Hennig. Puf. §. *12.* Brunn. *c. l. th. 6. 8.* & *9.*

Qu. XXI. *An ex notitia & silentio colligitur ratihabitio?*

℞. Neg. quia silentium non satis probabilem voluntatis conjecturam suppeditat,

ditat, nisi præter istud alii actus accesserint, qui ad aliam quam approbationis causam referri haud possint. Grot. §. 17. *ibique* Ziegl. Brunn. *d. l. th. 7.*

CAPUT XVI.

De Interpretatione.

Qu. I. *Cum ex promissis & contractibus nemo ulterius obligetur, quam quousque voluit, unde constabit de voluntate promittentis?*

Ex signis externis, quibus mentem suam aperuit. Cum vero ista signa quandoque in diversos sensus accipi possit, id erit in obligatione, quod recta signorum interpretatio suggerit. Alias omnis irrita redderetur obligatio, si quisque sensum, quem velit, sibi affingendo sese liberare posset, &, prætendendo suam sententiam diversam fuisse ab ea, quam alter arripuit, & sic res nunquam exitum haberet. Grot. *II. 16. 1.* Puf. *V. 12. 2.*

Qu. II. *Quid est Interpretatio?*

℞. Est alienæ dubiæ voluntatis

per

per signa maximè probabilia expositio.

Qu. III. *Quis voluntatem dubiam interpretatur?*

℞. Vel Legislator, unde *Authentica* interpretatio, vel Usus forensis, unde *Usualis*, vel homo privatus, unde *Doctrinalis*. Cum vero illa & ista pro autoritate fieri soleat, nec certis regulis adstricta sit, ideo ad hanc unicè deinceps respiciendum erit. Becm. *Consp. Pol. c. 15. p. 77.*

Qu. IV. *Quotuplex est doctrinalis Interpretatio?*

℞. Quia contingit, ut quandoque nec plus nec minus loquamur, quam sentimus, quandoque minus loquamur quam sentimus, quandoque plus loquamur quam sentimus, ideo tres interpretationis hujus species constituuntur. 1. *Declarativa* quæ alterius mentem exponit juxta verba prout jacent. 2. *Extensiva* quæ verba angustiora extendit ad alium casum sub mente comprehensum. 3. *Restrictiva* quæ docet non omnia quæ sub verbis comprehenduntur pertinere ad mentem lo-

loquentis. Grot. §. *2.* & *20.* Thomaſ. *II. 1.2.8.ſeqq.*

Qu. V. *Quæ menſura & fundamentum eſt rectæ interpretationis?*

℞. Collectio ex ſignis maximè probabilibus deducta. Ea ſigna duum generum ſunt, *verba* & *conjecturæ aliæ*, quæ aut ſeorſim adhibentur aut conjunctim. Grot. §. *1. n. 2.*

Qu. VI. *Quomodo verba interpretanda?*

℞. Si nulla ſit conjectura, quæ ducat alio, *popularia* ex proprio & famoſo ſignificatu, quem ipſis impoſuit non proprietas aut analogia Grammatica, ſed popularis uſus, quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi. *Artium vocabula* explicanda ſunt ſecundum definitiones prudentum cujusque artis. Et ſi artium vocabula â diverſis diverſimodè definiantur, ad lites præſcindendas facit popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem velimus intelligi. Grot. §. 2. & *3.* Puf. §. *3.* & *4.*

Qu. VII.

Qu. VII. *Quando opus est conjecturis assumtis?*

℞. Cum verba aut verborum complexio plures recipiunt significationes, & quoties in pactis est quædam species repugnantiæ. Nam ubi certa & manifesta est pugna, quod posterius inter contrahentes placuit, prioribus derogabit, quia nemo eodem tempore contraria potuit voluisse. Hinc frustra hic tentatur conciliatio, quia est vera contradictio, cujus pars una semper vera altera semper falsa. Grot. §. 4. *n.* 1. Puf. §. 5. & 6.

Qu. VIII. *Unde petuntur istæ conjecturæ voluntatis?*

℞. Potissimum petuntur ex *substrata materia*, ex *effectu* & *conjunctis* iisque origine aut loco. Grot. §. 4. *n.* 2.

Qu. IX. *Quomodo sensus genuinus ex substrata materia colligitur?*

℞. Si ad eandem sententia verborum attemperetur, quia materia illi qui locutus est, semper ob oculos versari præsumitur. Unde regula: *verba intelligenda secundum substratam materiam.* Sic si quis

ſi quis fœdere *arma* inferre prohibitus ſit, intelliguntur milites; ſi hoſtes *arma* tradere juſſi, intelliguntur inſtrumenta bellica. Sic *bibliothecæ* vox denotat & libros & locum, ubi tamen legata eſt, libri intelliguntur, & ubi exſtrui juſſa, locus indigitatur. Grot. §.5. Puf. §. 7. Thomaſ. *II.12.51. ſeqq.*

Qu. X. *Quando ad affectum reſpiciendum in interpretatione?*

℞. Regula hic erit: *Ubi verba crudè & ſimpliciter accepta, vel nullum vel abſurdum aliquem effectum poſt ſe eſſent tractura, ut ſi cum lege divina aut humana pugnarent, à receptiore ſenſu paulisper deflectendum, ut evitetur nullitas aut abſurditas.* Ita cum lex ſub gravi pœna prohiberet alteri in platea ſanguinem elicere, abſurdum eſſet, ſi ſecundum ejus verba barbitonſor, qui in platea ægrotanti venam ſecuerat, punitus fuiſſet. Sic quando prohibitum eſt peregrino muros aſcendere ſub pœna capitali, iniquum foret, ipſum hâc afficere, ſi aſcendiſſet ad hoſtem aſſurgentem dejiciendum. Grot.

§. 6. Puf. §. 8. Thomaf. *d. l. n. 63. seqq.*

Qu. XI. *Quid conjuncta sunt ex quibus voluntatis conjecturæ petuntur?*

℞. Sunt verba, quæ affinitatem quandam cum aliis habent, ubi idem autor agit de ſimili materia. Magnam vero ad interpretationem obſcurorum lucem afferre poteſt, ſi loca parallela ſedulo conferantur. Nam cum in dubio voluntas credatur ſibi fuiſſe conſentiens, igitur ubi quis uno in loco clarè mentem ſuam circa rem quampiam expreſſit, alio quoque loco & tempore ſibi conſtare præſumitur, niſi expreſſa mutatio appareat. *L. 24. ff. de L. L.* Puf. §. 9.

Qu. XII. *Quomodo conjuncta origine & loco differunt?*

℞. Illa dicuntur quæ eundem autorem habent, utut ſint alio tempore & loco prolata. Unde regula: *Obſcuræ locutiones explicandæ ſunt ex ejusdem autoris loco planiore, licet alio tempore & loco prolata, niſi manifeſto appareat ipſum ſententiam mutaſſe.* Ita ſi quis triticum dari ſibi ſtipulatus ſit, ſine adjecti-

jectione mensuræ, hæc stipulatio imperfecta est, at si ex alio tractatu prius habito de certi generis certæque quantitatis tritico cogitatum & actum sit, id pro expresso etiam in ipsa stipulatione habendum erit *L. 94. & 125. ff. de V. O.* Hæc appellantur dicta ejusdem autoris, quæ uno contextu seu loco aut tempore prolata aut scripta fuerunt, quæque aliqui indicant per *antecedentia & consequentia*, quorum gratia hanc regulam inculcant: *In omni sermone interpretando accuratè ad Antecedentia & Consequentia esse attendendum, quibus interjecta attemperata & respondere præsumuntur.* Grot. *§. 7. ibique* Tesm. Thomas. *d. l. n. 61.*

Qu. XIII. *An ex ratione conjectura quoque voluntatis peti potest?*

℟. Aff. & quidem validissima, si certo constet aliqua ratione, (quæ non cum mente legis confundenda est) tanquam causa unica voluntatem fuisse motam, quæ si cessat, etiam cessabit voluntas. Grot. *§. 8.* Puf. *§. 10.* Thomas. *d. l. n. 68. seq.*

Qu. XIV. *Quid si ratio pacto vel legi non fuerit inserta, sed ea lateat, quomodo eruitur?*

℞. Novis opus erit conjecturis ad eliciendam rationem antequam interpretatio secundum eandem fieri possit, quæ tamen certis regulis inculcari non possunt ob circumstantiarum concurrentium varietatem. Unde ad felicem eorum indagationem, in legibus & pactis publicis interpretandis insignis requiritur *prudentia Politica*, in privatis eximia *prudentia œconomica*. Multum quoque adjumenti affert eruditio ex sedula Historiarum lectione comparata, tum notitia peculiaris, quæ pacta aut fœdera antecesserunt. Thomas. *d. l. n. 81. seqq.*

Qu. XV. *An à favorabilibus & odiosis etiam regulæ interpretationis elici possunt?*

℞. Eliciunt earum varias tam in extensiva quam restrictiva interpretatione Grot. *§. 10. seq.* Puf. *§. 12. seq.* Verum cum non appareat quid *a natura* sua favorabile vel quid odiosum sit, cum hi termini

mini non rei ipsius essentiam, sed *relationem ad utilitatem aut damnum*, quod homines inde sentiunt exprimant, & ubique quod uni damnosum alteri utilitatem afferat, istæ regulæ non adeo magnam secum utilitatem trahunt, sed omnia ex hactenus allatis regulis de materia substrata, effectu, conjunctis ratione &c. expediri possunt. Dn. Thomas. *II. 12. 160. seqq. & in Append. Lib. 2.*

Qu. XVI. *Itaque in ambiguis ex favore vel odio rei decisio plane peti non potest?*

℞. Non potest, si favorabile vel odiosum à natura negotii petatur. Potest vero, si sit determinatum vel à Legislatore vel à Contrahentibus aut Testatoribus. Sic in Jure Romano libertas ac dos res favorabilis esse perhibetur, e contrario secundæ nuptiæ apud multos sunt odiosæ. Quanquam in his exemplis non opus, ut in interpretanda voluntate favorem vel odium allegemus, cum rectius ad affectum eorum à quibus actus dependet provocemus Thomas. *d. l. n. 172.*

Qu. XVII. *Quid ergo si sit pactum: utriusque populi socii ab utroque populo tuti sunto, an tantum præsentes an & futuri socii intelliguntur?*

℞. Etiam futuri, ut effectus sit icti fœderis. Alias fieri posset, ut facile rumperetur fœdus, si â futuris sociis alteri fœderato bellum inferretur, contra quem illis suus fœderatus iisque socius opem ferret. Nam pari sensu afficiunt plagæ, quas alieno quis nomine, quam quas proprio infligit Puf. *VIII. 9. 10.* Textor. *c. 24. n. 4. seqq.* Dissent. Grot. §. *13. cui resp.* van der Muelen.

Qu. XIIX. *Si in fœdere inæquali convenerit, ne alter fœderatorum bellum gerat alterius injussu, quale bellum hic intelligendum?*

℞. Offensivum non defensivum, quia ad excludendam sui defensionem, quæ juris naturæ est, nemo videtur habuisse causam Grot. §. *14. ibique* Tesm. Puf. *V. 12. 15.*

Qu. XIX. *Cui debetur præmium promissum ei, qui primus ad metam pervenerit, si duo simul perveniant?*

R. Vox primi notat eum, qui omnes antecedit, aut quem nemo, licet quandoque pares gradu habeat. Hic aut *ipsi qui cursu certant* præmium quoddam velut sponsione facta in victoriam ponunt; aut *spectatores* in hunc casum sponsione certant; aut *tertius* præmium ponit ad excitandam certantium alacritatem. Duobus prioribus casibus neuter currentium præmium reportat, ultimo casu ambo ad præmium concurrunt, si res possit dividi, si non, sorti res committetur, aut denuo certabitur; quanquam liberalius faciunt, qui præmium promiserunt, si utrique solidum solvant, Grot. §. 19. *ibique* Felde Puf. *d. c. 12.* §. 14.

Qu. XX. *An aliunde quoque conjectura dantur, quam quæ ex verbis ortæ?*

R. Aff. quæ nempe ex mente & voluntate contrahentium petuntur, ubi ea

alia apparet, quam verba præ se ferunt. Et hæ efficiunt, ut interpretatio quandoque sit *extendenda* quandoque *coarctanda seu restringenda.* Facilius tamen restrictiva quam extensiva procedit, quia hæc importat obligationem, restrictiva vero ab obligatione quodammodo liberat, quod favorabilius est *L. Arrianus 47. ff. de O. & A.* Grot. *§. 20. ibique* Felde & Tesm. *lit. a.*

Qu. XXI. *Quando ergo extensiva interpretatio locum habet?*

℞. Quando liquido constat, *rationem* sub qua venit casus, esse *causam unicam & efficacem* quæ Legislatorem movit, eamque ab ipso consideratam fuisse in sua generalitate, ut & æquipollentes casus complecteretur, quia alioquin lex aut promissio futura fuisset inutilis aut iniqua. Inde hæc interpretatio maxime nititur regulâ: *ubi eadem ratio, ibi eadem est juris dispositio.* Eadem tamen debet esse ratio, non saltem similis, etsi casus emergentes relati ad verba Legis casibus sub lege comprehensis sint sal-

tem

tem similes non iidem. Grot. §. *20. n. 2.* *seq.* Puf. §. *17.* Thomas. *n. 88. seqq.* ubi exempla.

Qu. XXII. *An hæc interpretatio etiam pertinet ad casus, qui in fraudem legis à maleferiatis hominibus excogitantur?*

℞. Aff. ne sententia legis elidatur. *L. 29. ff. de LL.* Ita si Princeps vetet frumentum exportari aut lanam, vetuit etiam farinam vel oves exportare. Fraudium ejusmodi quatuor species referunt Dd. aliam quæ fit commutatione *rerum*, aliam commutatione *personarum*, aliam commutatione *contractuum* & aliam *modo contrahendi*, Puf. §. *18.* Thomas. *n. 202.*

Qu. XXIII. *An mandatum impleri potest non per idem, sed per aliud æquè utile, aut utilius?*

℞. Distinguendum inter mandatum, quod per *imperium superioris* injungitur, & quod ex *ultroneo contractu* suscipitur. Posteriori casu mandatum ita impleri potest, quia modus expediendi negotium alteri præsumitur præscriptus

in vicem consilii, in quo immutando prudentiæ mandatarii locus est relictus. Priori non potest, quia superior saltem censetur meram executionem injunxisse, à quo modo præscripto non licebit discedere. Nisi per expressam clausulam legati aut ministri licentiam acceperint supplendi aut paulisper immutandi, quæ res & tempus postulant. Grot. §. 21. Puf. *V.* 4. 5.

Qu. XXIV. *Unde petitur interpretatio restringens extra significationem verborum, quæ promissionem continent?*

℞. Ex *defectu originario voluntatis*, aut *casus emergentis repugnantia cum voluntate*. Grot. §. 22.

Qu. XXV. *Unde colligitur originarius voluntatis defectus?*

℞. (1) Ex *absurdo*, quod alias sequeretur, nam nemo credendus est velle absurda. Ita si Lex sit: *Vir fortis, quæ postulat habeto*, & unus qui fortia facta perpetravit, postulaverit agrum concivis sui, hic vero post aliquot tempus in præmium

um fortitudinis agrum suum à priore repetat, vitatio absurditatis suadet, ut lex explicetur, ne viris fortibus sua præmia iterum eripiantur (2) *ex cessatione rationis* quæ sola movit voluntatem e. gr. si negotiatores annonæ urbis privilegio immunitatis ab oneribus publicis instructi, id privilegium cessat, si non amplius sint in eo actu (3) *ex materiæ defectu*, quæ huc non quadrat, de qua qui loquitur semper cogitasse censetur. Ita si feudum sit concessum alicui pro se & suis hæredibus, interpretatione restrictiva hic saltem masculi non fœminæ aut nepotes ex filia ad successionem admittuntur. Puf. §. 19. & 20. Thomas. *n.* 103. *seqq.*

Qu. XXVI. *Ratio ob quam aliquid cavetur, quomodo interpretanda?*

℟. Ut non tantum in casibus revera exituris, sed & in illis, qui probabiliter aut saltem non adeò difficulter existere possunt, obtineat. Sic si Lex sit: ne quis noctu cum facibus per plateas ambulet, non excusatur quis, si dicat, se ita circumspectè iisdem uti, ut nemini da-

mnum indè proveniat. Grot. §. *25. ibiq.* Ziegl. & Tesm. Puf. §. *20*. Thomas. *n. 156. seq.*

Qu. XXVII. *An promissa in se habent tacitam hanc conditionem, si res maneant eo quo sunt loco?*

℞. Neg. cum ob inconstantiam rerum humanarum semper quid excogitari possit, ob quod rumperentur promissa. Nisi apertissimè pateat, statum rerum præsentem in unica illa ratione inclusum esse. Grot. §. *25*. Puf. §. *20*.

Qu. XXVIII. *Unde constat, casum aliquem pugnare cum voluntate ejus qui aliquid constituit?*

℞. Illud deprehenditur 1. *ex naturali ratione* quando nempe ab æquitate foret discedendum, nisi certi casus à generali lege eximerentur 2. *ex aliquo signo voluntatis*, ex quo conjicio velle dicentem, vel Legislatorem hunc casum in ista generali lege excipere. Grot. §. *26*.

Qu. XXIX. *Quid est æquitas?*

℞. Est correctio ejus in quo Lex deficit ob universalitatem, quod suo modo

do etiam ad pacta & testamenta referri potest. Grot. *d.* §. *26.* & *de Æquitate n. 7.*

Qu. XXX. *An per æquitatem promiscuè omnes casus ab obligatione legis eximuntur?*

℞. Neg. sed demum si sufficientia indicia adsint, inter quæ certissimum, si appareat, violatum iri *legem naturalem*, ubi per se quis literam Legis humanæ sequi velit, e. gr. si fur rem furtivam deponat, lex quæ vult ut deponenti res restituatur, non obligat, si verus Dominus superveniat & rem repetat. Proximum est, si non quidem illicitum sit verba legis sequi, sed tamen rem humaniter æstimanti id *nimis videatur grave & intolerabile*, sive in universum omnibus hominibus, ut tempore famis, ubi Lex prohibens certos panes aut cibos comedere in casu necessitatis non obligat; sive certis personis. Quare qui rem ad dies aliquot commodavit, intra eos dies eam repetere potest, si ipse valdè egeat. Grot. §. *27.* Osiand. *h. c. th. 17.* Puf. §. *21.* & *22.*

Qu. XXXI.

Qu. XXXI. *Quænam sunt alia signa voluntatis, quæ certum casum à lege vel pacto universaliter concepto eximunt?*

℞. Quando verba alio loco posita non quidem directo cum præsenti lege aut pacto pugnant, attamen per incidentem singularem casum ita inter se committuntur, ut licet diverso tempore servari & impleri potuissent, non tamen possunt eodem & hoc tempore, quo incidit hic singularis casus. Hic ergo certæ sunt observandæ *Regulæ*, ut intelligi possit, quænam Lex aut pactio in eo casu, ubi utrique simul satisfieri nequit, præferri debeat. Grot. §. *28. & 29. n. 1.*

Qu. XXXII. *Quænam sunt illæ regulæ?*

℞. *Generalis* est hæc: *Lex quæ arctius ligat voluntatem hominis, præfertur isti, quæ vinculum vel obligationem laxiorem imponit.*

Ex *specialibus* sunt sequentes I. *Quod permittit cedit ei quod jubet & vetat*, quia permissioni tantum inest libertas faciendi vel omittendi, jussus vero involvit

vit necessitatem faciendi & omittendi, & in præsenti casu libertatem tollit e. gr. si lege dispositum: *concubinam habere cuivis civi Romano liberum esto* & alia lege sit constitutum: *mulierem in castris miles non habeto*, ad militem non pertinet licentia Legis prioris.

II. *Quod faciendum est certo tempore, præfertur ei quod quovis tempore fieri potest*, quia arctius est vinculum legis ad certum tempus restringens, quam alia obedientiam exigens quovis tempore præstabilem. Ita sanctificatio Sabbathi præferenda est officiis quotidianis. Hinc simul apparet, non esse uni & eidem injungenda, quæ simul expediri nequeunt, & quorum nullum dilationem fert.

III. *Affirmativum præceptum cedit negativo* si impleri non possit nisi violato præcepto negativo, quia negativa præcepta semper obligant, affirmativa occasionem præsupponunt, quæ non adesse intelligitur, ubi quid citra legis violationem fieri nequit. Ita præceptum affirmativum est: *da pauperibus eleemosynas*,

nega-

negativum: *noli furari*. Ideo præposterum genus pietatis foret, corium furari & calceos pauperibus eleemosynæ loco dare.

IV. *Obligatio imperfecta cedit obligationi perfectæ*, quia perfectæ major inest obligationis gradus quam imperfectæ, magis quoque illa libertatem nostram vincire censetur. Sic solutio debitorum præferenda solutioni eleemosynarum.

V. *Si utraque obligatio perfecta, antiquior præferenda noviori*, quia per antiquiorem libertas mea jam fuit restricta tempore novæ obligationis. Ita debitum antiquius prius est solvendum.

VI. *Inter conventiones legesque cætera æquales peculiaris seu specialis præfertur generaliori*, nam generalia per specialia ad certi quid determinantur. Sic lex generalis sit: *ne quis die feriato armatus in publico versetur*. Alia lex sit: *ne quis signo audito, tumultus indice, domi maneat, sed cum armis magistratui in foro præsto sit*. Tumultus die feriato oritur, hic dicendum est, posteriorem legem

ha-

habere se instar exceptionis in ordine ad priorem hoc modo: ne quis die feriato cum armis in publico versetur, nisi tumultus causa magistratui adesse evocetur.

VII. *Si sint duæ leges vel præstationes, quæ in certo articulo collidunt, quarum una habet causas magis honestas altera magis utiles, hæc cedit priori*, quia arctior obligatio ad honesta, quam utilia. Sic si uno tempore servare famam & lucrari pecuniam simul nequeo, hoc seponendum, illud præferendum.

VIII. *Lex beneficentiæ cedit legi gratitudinis* quia ad gratitudinem tenemur tam ex accepto beneficio, quam ex lege humanitatis, ad benefaciendum vero tenemur tantum ex lege humanitatis, duplex autem vinculum fortius ligat quam simplex. Ita si concurrat Patronus egenus cum cognato etiam paupere, hic patrono erit postponendus.

IX. *Inter leges quæ à potestatibus subordinatis proficiscuntur, lex inferioris potestatis cedit legi superioris, ubi utrique simul satis fieri nequit.* Inde Deo magis

quam hominibus obediendum. Grot. §. *29. ibique* Ziegl. Puf. §. *23.* Thomaſ. *d. l. n. 118. ſeqq.* & in der Außübung der Vernunfft-Lehre *P. 3.*

Qu. XXXIII. *An contractus perfectus cenſeri debet antequam ſcriptura confecta ſit ac tradita?*

℞. Aff. niſi aliud convenerit, nam illa tantum adhibetur ut contractus monumentum, non ut ejus ſubſtantiæ pars. Grot. §. *30. ibique* Teſm.

Qu. XXXIV. *An contractus regum & populorum interpretandi ſunt ex Jure Romano?*

℞. Neg. quia hoc ſummas poteſtates non obligat, niſi appareat illud receptum eſſe, quod quia facti, non eſt temerè præſumendum. Grot. §. *31.*

Qu. XXXV. *Cujus verba magis attendenda an offerentis conditionem ſeu promiſſoris, an accipientis ſeu ſtipulatoris?*

℞. Illius cujus utilitatem verba pacti concernunt. Unde ſi hæc ſint obſcurè prolata, deficientibus aliis adminiculis, in-

interpretatio facienda contra proferentem, quia sibi imputare debet, quod non clarius expresſit. ea, quæ in ſui favorem adjecta voluit. *L. 39. ff. de pact.* Dn. Böhmer. *Diſſ. de Interpr. fac. contr. eum qui clar. loqu. deb. §. 20. ſeqq.* Aliter. Grot. *§. 32.*

CAPVT XVII.

De Damno per injuriam dato, & obligatione quæ inde oritur.

Qu. I. *Quid per damnum injuriâ datum intelligitur?*

OMnis læſio ex dolo vel culpa alterius proveniens, quâ alicui adimitur quod ſuum eſt, ſive ſit ipſi à natura quæſitum, ut vita, corpus, membra &c. ſive ex inſtituto aliquo atque conventione humana, ſive à lege. Grot. *II. 17. 1. & 2. n. 1.* Puf. *III. 1. 1. 2. 3.*

Qu. II. *Qualis ex damno dato oritur obligatio?*

℞. Ut à lædente damnum reſarciatur. Vanum enim eſſet præceptum juris na-

turalis, ne quis lædatur, neve cui damnum detur, si ubi de facto læsus fuerit, damnum ipsi gratis sit devorandum, & qui læsit fructu suæ injuriæ securè & citra refusionem gaudere possit. Grot. *d. l.* §. *1. in f.* Puf. *d. l.* §. *2.*

Qu. III. *An inter mea referre possum id ad quod aptus sum?*

℞. Neg. quia sola aptitudo non dat jus illud exigendi, sed ab ultroneo alterius *beneficio* dependet an velit conferre, quod antequam acceperim meum dici non potest. Unde etiam si id interceptum sit, inter damna mihi illata referre nequeo. Grot. *d.* §. *2. n. 2.* Puf. §. *3.*

Qu. IV. *Quid si tamen à tertio vi vel fraude in petendo impeditus sim?*

℞. Hunc ex jure perfecto convenire possum ad æstimationem, non quidem totius rei petitæ, attamen ambiguæ ejus spei impetrandi munus petitum. Quamvis enim civis non indignus adversus civitatem non habeat jus proprium ad officium aliquod, habet tamen verum jus pe-

petendi juxta alios. Grot. §.*3. ibiq.* Tesm. & Obrecht. Puf. §.*3.*

Qu. V. *Quale jus vero est contra illum, cui à Rep. magistratus collatio mandata?*

℞. Verum & proprium jus hoc casu Reip. competit, si ex indigni electione damnum fecerit, ad hoc sarciendum. Grot. §.*3. ibique* Tesm.

Qu. VI. *An pro damno tantum habetur quod in re ipsa datum est?*

℞. Neg. sed & quod in fructibus datum est, sive sint percepti sive non, modo dominus eos percepturus fuerat, deductis tamen impensis in fructus factis & in rem necessariis ac utilibus. Sic & spes lucri ex nostro æstimabitur, secundum propinquitatem ad actum, ut in semente spes messis, prout vel instat vel remota est. Grot. §. *4. & 5.*

Qu. VII. *An damnum datum etiam alii quam qui dedit imputari potest?*

℞. Aff. Si iste *momentum* aliquod attulerit vel faciendo vel non faciendo,

idque vel primario vel secundario, quod ferè novem modis fit, de quibus est vulgatus versiculus:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

vid. Grot. *h. c.* §. *6---9. ibique* Ziegl. & Tesm.

Qu. VIII. *Si autem plures ad idem damnum concurrant, quinam id reparant?*

℞. Qui ad ipsum actum, quo damnum datum fuit, aliquid *realis operæ* contulerunt, tenentur etiam ad reparationem damni; qui nihil istiusmodi operæ contulerunt, nec ut iste actus susciperetur antecedenter effecerunt, nec in partem lucri venerunt, sed tamen alienis malis lætantur, patratum damnum laudant, excusant, antequam fiat optant &c. peccato quidem obstringuntur, ad reparandum damnum tamen non tenentur. Grot. §. *10.* Puf. §. *4.*

Qu. IX.

Qu. IX. *Quid circa illos qui omittendo ad facinus alienum concurrunt?*

℞. Si omiserunt quod ex *obligatione perfecta* facere debebant, ad reparationem damni tenentur, non si quod *lex charitatis* aut *humanitatis* duntaxat dictabat. Grot. §. 9. *ibique* Henniges. Kulpis. *Coll. Gr. h. c.* §. 9. Puf. *d.* §. 4. *in f.* Dissent. Ziegl. & Osiand. *add.* §. 9.

Qu. X. *Mandans & mandatarius quo ordine in reparatione damni tenentur?*

℞. In *præstanda reparatione* patrator facinoris, si *citra necessitatem* ad facinus accessit, primo loco tenetur, tum mandans. In *criminali actione* indistinctè ante mandantem tenetur patrator. Grot. §. 11. *ibique* Tesm. Hennig. & Ziegl. Puf. §. 5.

Qu. XI. *Si plures in eodem facinore concurrant, qua ratione damni reparatio instituitur?*

℞. Aut actus est *individuus* v. gr. incendium, ubi discerni nequit, pro qua

parte quisque ex incendiariis damnum dedit, sed ex unius opera totus actus sequi potuit, & quilibet tenetur in solidum, ita tamen ut si omnes simul deprehendantur, singuli tantum ratam partem damni solvant, unò verò saltem præsente, si cæteri sint elapsi, aut non deprehendantur solvendo, unus ille solidum solvat; aut actus est *dividuus*, v. gr. in læsione hominis, si unus nasum truncaverit, alter brachium fregerit, tertius oculum eruerit, & tunc quilibet tenetur pro eo, quod fecit. Ubi tamen si unus solidum solverit, reliqui à reparatione damni quidem liberantur, non item à pœna. Grot. §. *11*. Puf. §. *5*.

Qu. XII. *Quæ ratio differentiæ inter damni reparationem & pœnam?*

℞. Quia in damno una omnium est obligatio, scil. ut ejus æstimatio solvatur, quæ desinit, ubi hæc ab uno delinquentium soluta; quoad pœnam multiplex est obligatio, & unusquisque ratione pœnæ suæ seorsim obligatur. Ergo uno susti-

ſuſtinente pœnam, hæc cæteros ab obligatione propria non liberat. *L. 1. C. de Condict. furtiv.*

Qu. XIII. *An aliquis tantum de actu tenetur?*

℞. Neg. ſed etiam de his, quæ illum ex *actus vi* ſunt conſecuta. Aliud ſi per *caſum fortuitum* damnum obvenerit, nam hic nulla ratio eſt, quare is alicui imputari debeat. Iſta vero damna qualiter æſtimentur, exemplis *homicidæ mutilatoris, adulteri, ſtupratoris, furis, raptoris*, ac ejus qui *cauſam dedit* promisſioni per *dolum vel metum injuſtum* prolixè docent. Grot. §. *12 -- 19.* Puf. §. *7. ſeqq.*

Qu. XIV. *Si reges aut magiſtratus non inhibeant latrocinia aut piraticam?*

℞. Tenentur ad reſarciendum damnum, ſi non adhibeant ea quæ posſunt ac debent remedia ad impedienda latrocinia ac piraticam Grot. §. *20.* Loccen. *de Jure marit. L. 2. c. 3. §. 5.*

Qu. XV. *Quid si singulis subditis facultatem dent invadendi hostes, & illi quosdam etiam amicos invadant, nec redeant revocati?*

℞. In nihil amplius tenentur, quam ut noxios repertos puniant, aut dedant, ac in raptorum bona jus reddi curent, quia ipsi non sunt injustæ prædationis caussa, nec de præda participant, & prohibent ne noceatur amicis. Grot. §. *20. ibique* Tesm. Kulpis. *de privat. in host. excurs.* §. *22.*

Qu. XVI. *Quis reparat damnum ab animali datum?*

℞. Dominus animalis, qui vel damnum sarcire vel animal noxæ dare debet. Si enim ab animali, quod in libertate naturali degebat, cum læsus fuissem, poteram damnum meum qualitercunque reparare, illud capiendo vel occidendo, jus hoc per alterius dominium mihi auferri non potest. Puf. §. *6.* Aliter Grot. §. *21. ibique* Hennig.

Qu. XVII. *Si navis per collisionem alteri navi damnum det?*

℞. Mul-

℞. Multorum populorum legibus tale damnum dividi solet, ob culpæ probandæ difficultatem. Grot. §. *21*. Loccen. *de jure marit. lib. 3. cap. 9.* §. *11*. Dn. Stryk. *Diss. de Collisione navium c. 2.* §. *7. & c. 4.*

Qu. XVIII. *An famæ & honori etiam damnum inferri potest?*

℞. Propriè non, quia fundamentum honoris in honestate *morum vitæque probitate* consistit, quod nec atrocissimæ injuriæ evertere possunt. Quia tamen internum illud & in nobis consistens fundamentum ex se *parit externum honorem* tanquam effectum moraliter sibi debitum, ideo qui injurias fecit alicui, verberibus, contumeliis, calumniis, irrisu & aliis modis, non tribuit ei quod debet, qui vero hoc non tribuit, dat damnum, ad quod reparandum tenetur. Ziegl. *ad Gr. h. c.* §. *22*. Puf. *VIII. 4. 12. & 14.*

Qu. XIX. *Quomodo fit damni hujus reparatio?*

℞. Culpæ confessione, exhibitione honoris, testimonio innocentiæ, & alio simili modo, etiam pecuniâ, si læsus velit, quia

quia pecunia communis est rerum utilium mensura. Grot. §. 22. *ibique* Obrecht.

CAPVT XVIII.

De Legationum Jure.

Qu. I. *Per quos negotia diversarum Rerumpp. mutuo expediuntur?*

COmmodissimè per Legatos. Non enim adeò benè per literas id fieri potest, nec semper Principi commodum est, ut ipse pergat ad exteros, & per colloquia negotia magni momenti expediat. Marselaer *de Legat. L. 1. diss. 4.* Besold. *de Legat. eorumque jure c. 1.* §. 5.

Qu. II. *Quid est Legatus?*

℞. Est minister publicus à summa potestate ad aliam similem potestatem missus, ad expedienda sibi commissa negotia nomine committentis.

Qu. III. *An differentia est inter Legatos?*

℞. Ex stylo hodierno distingvuntur in Legatos *primi ordinis* seu cum charactere

ctere repræsentativo missos, qui *Legati* simpliciter & stricte dicti dicuntur, item *Oratores*, Gesandten Gallis *Ambassadeurs*; & Legatos *secundi ordinis* qui principalem suum ratione honoris & præcedentiæ non repræsentant, dicuntur *Ablegati* Abgesandten, Gallis *Envoyes*. Utrique sunt vel *Ordinarii*, vel *Extraordinarii*. His secundi ordinis annumerantur *Residentes* qui ut Officiales sedem uno loco moramque longiorem faciunt, ut promiscuè rem domini sui gerant, item *Agentes* qui ut negotiorum gestores rebus pacatis, & *Tubicines* aut *Tympanistæ* qui bellico statui adhibentur. In omnibus nomina nihil quam dignitatem variant, jus omnibus idem est, nam omnes sunt sancti & inviolabiles Fürstnerus *de Jure Supremat. & jure Leg. Princ. c. 7. & 8.* Kulpis. *de Legat. Stat. Imp. c. 2. & 3.* Coccej. *Jur. publ. prud. c. 23. §. 26.*

Qu. IV. *Quo Jure nititur Jus Legationum?*

℞. Jure naturæ, sive mittantur *ad amicos*, nam ita illis apud exteros æquè

ac

ac aliis privatis, jus securitatis competit, sive *ad hostes*, quia cum oblata satisdatione dissidentibus populis pacem quærere liceat, quam jus naturæ omnibus modis honestis amplecti jubet, illis etiam personis idem jus cavere censetur, sine quibus finis ab eodem præscriptus obtineri nequit. Puf. *II.3.23.* Thomas. *III.9.17.44.* Coccej. *Diss. de Legato Sancto non impuni c.1.§.9.* Dissent. Grot. *II.18.1. ibique* Obrecht.

Qu. V. *Suntne omnia circa legationem juris naturæ?*

℞. Non, nam *ceremoniæ* quibus legati excipiuntur, aut ad audientiam evocantur, hospitium ac munera quæ illis præbentur, aliaque similia, debentur humanis ritibus, qui pro diversitate mittentium Legatos variant, nec omissi culpam violatæ legationis secum trahunt. Horn. *de Civit. L. 2. c. 8. §. 2. n. 1.* Kirchner. *de Legat. L. 2. c. 2.* Besold. *d. l. c. 5.*

Qu. VI. *Quinam habent jus mittendi legatos?*

℞. Qui majestate gaudent etiam *ana-*

analoga, quales ſunt Principes Imperii Rom. Germanici, quia penes hos non minus quam illos jus eſt tractandi de iis negotiis, ob quæ legati mittuntur. Grot. *II. 18. 2. n. 1. ibique* Teſm. Kirchn. *d. l. L. 1. c. 3.* Kulpiſ. *d. Tr. c. 5. 8. & 21.*

Qu. VII. *An gaudent hoc jure impari fœdere juncti?*

℞. Aff. ſi inæquale fœdus non impingat majeſtatem. Sic etiam gaudent hoc jure, *qui pro parte ſubditi ſunt*, ex ea ſcilicet parte, qua ſubditi non ſunt. Item *populus* ex neceſſitate in *æquales partes diviſus*, quarum utraque ſummum imperium affectat, ut dijudicari vix poſſit, ab utra parte ſtet ſummum imperium, quia alias diſſidentes cives ad pacem revocari non poſſent. Inde hoc eventu gens una pro tempore quaſi duæ gentes habetur. Grot. §. *2. n. 2. & 3. ibique* Obrecht. Teſm. Horn. *d. l.* §. *1. n. 4.*

Qu. VIII. *Qui non habent jus mittendi legatos?*

℞. 1. Qui *reges amplius non ſunt*, ut ſi bello ſolenni victi, regnoque cum aliis

regni

regni bonis exuti, qui regnum dereliquerunt aut abdicarunt, item qui regno pulsi, nec ullum jus amplius retinent. 2. *rebelles*, *piratæ ac latrones*, qui civitatem non faciunt, quibus tamen quandoque ex indulgentia Principis jus Legationis conceditur, si sese excusare, aut ad frugem reverti velint. 3. *qui subditi sunt*. Si ergo provincia aliqua aut municipium, Vice-reges, Præsides aut Duces ablegent ad Principem suum aliquem, is non legatus erit, sed deputatus aut syndicus, qui nec jure speciali legatorum gaudet, sed jure civili regitur. Grot. *d.* §. *2. n. 2. & 3. ibique* Tesm. Ziegl. Besold. *d. l. c. 3.* Kulpis. *d. l. c. 3. §. 6.*

Qu. IX. *Ad quos mittuntur Legati?*

℟. Itidem ad illos qui majestate pollent. Ad subditos à Principe missi *Commissarii* dicuntur. Grot. §. *2. n. 1. ibique* Ziegl. Strauch. *Diss. Juris publ. 7. th. 5.*

Qu. X. *Quænam sunt, quæ de Legatis Jus naturæ præcipit?*

℟. Duo, prius est ut admittantur, deinde ne violentur. Admissio autem latè capi-

capitur, ut audientiam & dimissionem sub se comprehendat. Grot. *§. 3. n. 1.*

Qu. XI. *An hoc Jus omnes Legatos admitti præcipit?*

℞. Neg. sed saltem vetat ne sine causa rejiciantur. Hinc præmisso ministro maturè significandum Principi, ad quem Legatio destinata est, Legatum adesse, ut si quam habeat rejiciendi causam, legati admissionem prohibeat. Grot. *§. 3. n. 1.* Textor. *Synops. J. Gent. c. 14. n. 27.*

Qu. XII. *Quæ est justa causa rejectionis?*

℞. Causa justa esse potest *ex eo qui mittit*, ut si callida Legationis simulatione sæpè antehac decepit, & nunc eadem fraus metuenda. Quod vero ab hoste armato veniat, non semper justa causa esse potest. Vel *ex eo qui mittitur*, ut si odiosa fuerit Legati persona ex crimine in admittentis territorio commisso, vel perfidia aut contumelia in admittentem facta. Ob atheismum vero aut hæresin non videntur Legati rejiciendi. Vel *ex eo ob quod mittitur*, ut si apertè constet,

legatum non venire: ut agat id, quod apertè profitetur, sed, ut seditiones moveat, concitet populum, si non legatus, sed explorator, si ad tempus extrahendum, eâque morâ rebus domini sui consulendum, & alteri ad quem missus est nocendum venerit. Grot. §. 3. *ibique* Ziegl. Tesm. & Hennig. Thomas. *III. 9. 21. seqq.* Paschal. *de Legat. c. 36.*

Qu. XIII. *An quis Residentes seu Legatos perpetuos admittere tenetur?*

℞. Stricto jure non, quia speculantur facta Principum, quod ut permittant ab illis nullo jure exigi potest. Interim prudentiæ erit expendere an vires ac potentia sua ad id sufficiant. Cæterum si alii Legati sine justa causa rejiciantur, id non saltem contra humanitatem, sed & Jus Gentium erit, ut exinde justa esse possit belli gerendi causa. Grot. §. 3. *in f. ibique* Obrecht. Thomas. *d. l. n. 26--32. seqq.*

Qu. XIV. *Cur legati jure naturæ sancti & inviolabiles sunt?*

℞. Quia si *ab amico* veniunt, tum vel majestatem mittentis referunt, & ea erit omni-

omnibus sancta servanda, vel non referunt, & pro scuto jus omnium illis inservit, quod alios lædere vetat. Si *ab hoste*, jus hoc illis tribuendum est, sine quo in bello ad pacem perveniri nequit, quod est inviolabilitas. Si enim Legatus hostis interfici posset, nullum esset medium, quo pax, quam tamen servare humani generis interest, recuperari posset. Si *pacis finiendæ & indicendi belli causa* veniunt, securitatem habebunt, quia id expediunt, quod gentes ad bellum solenne requirunt, i. e. indictionem. Observ. Halens. *Tom. 9. Obs. 8. & 9.* Thomas. *d. l. n. 50.*

Qu. XV. *An sancti manent etiam si deliquerint in loco extranei?*

℞. Aut delictum est commissum in *privatum* aut in *statum publicum* vel *Principem extraneum*. Priori casu adhuc immunitas ab extranei imperio & pœna concedenda est Legato delinquenti, & delictum vel dissimulandum, vel jubendus legatus, ut finibus excedat, vel domino ejus denunciandum, ut ipse eum pu-

niat aut dedat, quia Principalis, quem repræsentat Legatus, nunquam se alterius imperio subjicit, sed per legatum ut æqualis cum æquali, non ut inferior cum superiore agit. Dissent. Dn. Coccej. *de Legat. Sancto non impuni.* Posteriori in casu si crimen manifestum sit, Respubl. læsa per modum naturalis defensionis legatum ut hostem tractare, eumque trucidare poterit, quia in ipsum Principem talia molientem hoc quoque liceret. Non enim Princeps amplius sanctus & inviolabilis manet, ubi in hostem degenerat, sed in victoris manum & potestatem redigitur, itaque & in simili casu ejus Legatus. Grot. §. *4. n. 5. & 7.* Horn. *de Civit. L. 2. c. 8. §. 9.* Thomas. *III. 9. 57. 81.* Strauch. *d. Diss. 7. th. 8.*

Qu. XVI. *An hæc sanctimonia debetur promiscuè omnibus Legatis delinquentibus?*

℞. Neg. sed si communes nuncii ut Tubicines & Tympanistæ deliquerint, Jus Gentium violari non videtur, si in loco delicti interficiantur, quoniam in eorum

rum persona tantum damnum non est. Thomas. *d. l. n. 75.* Hertius *Opusc. Tom. 1. Comm. de lytro S. 1. §. 8. p. 238.*

Qu. XVII. *An tertius per cujus territorium transit Legatus eundem etiam sanctum præstare tenetur?*

℟. Tenetur, si *eat ab amico ad amicum tertii*, quia hunc jus omnium hominum, quod vetat innocentem lædere, jubet esse securum. Si eat *ab amico ad hostem tertii* præsumtio est, quod non in damnum tertii transeat, isque inde etiam securus præstari debet. Si eat *ab hoste ad amicum* aut *ab hoste ad hostem tertii* nullà veniâ acceptâ, non tenetur tertius illum inviolabilem servare, sed eum pro hoste habere potest, nam jura Legatorum non sunt quam inter quos est legatio. Grot. §. 5. *ibique* Ziegl. & Hennig. Thomas. *ad Huber. de jure civit. L. 3. S. 4. c. 2. n. 20.* Textor. c. *l. c. 14. n. 37.*

Qu. XVIII. *An legatus jure talionis interfici aut malè tractari potest ab eo veniens qui tale quid patravit?*

℞. Neg. jus enim gentium non tantum cavet mittentis dignitati, sed & securitati ejus qui mittitur, & qui admittit legatum, fidem obstringit, quæ servanda, nec prætextu prioris injuriæ frangenda. Grot. §. 7. *ibique* Osiand. & van der Muelen. Textor. *c. 14. n. 41.* vid. Huber. *d. l. 3. S. 4. c. 2. n. 16.* Dissent. Marselaer *de Legat. L. 2. Diss. 13. p. 363.*

Qu. XIX. *Comites, ministri ac vasa legati, habentne sanctimoniam?*

℞. Habent accessorie ex persona Legati, quia sine illis Legatio commodè & ex dignitate mittentis fieri non potest; itaque qui legatos vult recipere, illud quoque ferre debet, sine quo honestè & commodè recipi nequeunt. Grot. §. 8. *ibique* Tesm.

Qu. XX. *Quid si deliquerint apud eum à quo admissi?*

℞. A legato postulari poterit, ut eos dedat vel puniat, vi enim abstrahendi non sunt. Si neutrum facere velit, id jus erit, quod in legatum delinquentem *qu. 15.* Grot. §. 8.

Qu. XXI.

Qu. XXI. *Ad puniendos comites competitne Legato Jurisdictio?*

℞. Aff. si Legatus sit qui Principem suum refert & Princeps velit. Hic enim in suos ubique habet Jurisdictionem, ergo & Legatus talis. Horn. *de Civit. L. 2. c. 8.* §. 5. add. *Diss. nostra de Jurisd. Legati in comites suos.* Dissent. Paschal. *de Legat. c. 76.* Marselaer *L. 2. Diss. 15.*

Qu. XXII. *Competitne etiam Jus asyli fugientibus in domum Legati?*

℞. Neg. nam hoc respicit subditos delinquentes domini territorii, in quos Legati jura se non extendunt. Nisi ex domini hujus indulgentia illud exerceat, quo casu tamen concedens id ex salute suæ civitatis etiam revocare potest. Grot. §. 8. *n. 2.* Thomas. *disp. de Jure asyli Legat. ædib. compet.* §. *23. seqq.* Budd. *Phil. Pract. P. 2. c. 4. S. 5.* §. *27.*

Qu. XXIII. *An legati bona mobilia capi possunt pignoris causa, aut ad solutionem debiti?*

℞. Neg. nec per judiciorum ordinem, nec manu regia, quia hoc arguit vim su-

periorem, à qua legatus immunis est. Si igitur solvere nolit, primum compellandus amicè, deinde is qui misit, ultimo repressaliæ adhibendæ, si justitia denegetur. Grot. §. *9. ibique* van der Muelen Dissent. Hennig. *ad Grot. h.* §. *9.* Textor. *c. 14. n. 52. seq.*

Qu. XXIV. *At si id juris, metuendum neminem fore qui cum Legato contrahat?*

℞. Id non metuendum, nam & regibus qui cogi nequeunt, non desunt creditores. Agat ergo qui cum Legato contrahit, ut sibi det privatos fidejussores, aut si fide nuda contentus fuerit, sibi imputet. Grot. §. *10.* Huber. *d. l. n. 18.*

Qu. XXV. *An ob male habitos legatos justa belli inferendi causa est?*

℞. Aff. & tam sacræ quam profanæ historiæ id factum esse docent: *2. Sam. 10.* Flor. *1. 18.* Liv. *9. 10. & 26. 31.* Grot. §. *11.*

Qu. XXVI. *Quid Lex naturalis præcipit Legatis?*

℞. Ut 1. cauti sint & circumspecti, inania à solidis, vera à fabulosis discernere

 cal-

callidi. 2. secretorum tenacissimi. 3. pro utilitate suæ civitatis adversus quaslibet corruptiones obstinati. Marselaer. *lib. 1. Diss. 36. seqq.*

CAPUT XIX.

De Jure Sepulturæ.

Qu. I. *Estne aliqua obligatio hominum erga mortuos jure naturæ?*

Est, & quidem hæc, ut viventes mortuos sepeliant. Existimatio enim viventibus debita & morte non extincta, hanc justitiam recipit, ut cadaver mortui in talem locum reponatur, quo securum sit ab incursu avium, ferarumque, & ne fœtore ipsius aer inficiatur. Grot. *II. 19. 2. n. 4.* Osiand. *h. l. ad. th. 2.* Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 2. art. 1. subsect. 4. §. 6.* vid. Dn. Thomas. *III. 10. 7--20.* Dissent. Grot. *d. l. §. 1.*

Qu. II. *At homo mortuus nihil sentit, ergo nec juris aut obligationis capax est?*

℞. Ut quis juris sit capax, non requiritur ut hoc sentiat aut intelligat aut vin-

dicare possit. Nam & nondum nati, infantes & furiosi jurium capaces sunt, licet hoc non sentiant aut intelligant. Budd. *Phil. Pract. P. 2. c. 4. S. 9. §. 13. & 14.*

Qu. III. *An uno semper modo honor ultimus mortuis exhibitus?*

℞. Non, sed gentes fuerunt, quæ illos concremarunt, aliæ quæ eos avibus objecerunt, aliæ eos comederunt. Justin. *XIX. 1. XLI. 3.* Cæl. Rhodigin. *L. 18. c. 30.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. Lib. 3. c. 2.* humaniores tamen humo mandarunt, & jam à primis orbis conditi temporibus homines eandem humandi curam habuisse, historia sacra docet. *Genes. XXIII, 4. 16. 19. XXV, 9. 2. Chron. XXXII, 33.* Osiand. *ad Gr. h. c. obs. 1.* Finckelth. *de Jure Sepult. concl. 1.*

Qu. IV. *Suntne vero ceremoniæ in Sepulturis moratiorum gentium ejusdem juris?*

℞. Neg. sed illæ à superiorum consensu expresso vel tacito dependent. Unde in legem naturalem nihil committitur, sive diurno sive nocturno tempore, sive cum

con-

concionibus sive sine illis, sive cum comitatu sive sine eodem cadaver terræ mandetur. Quanquam à ceremoniis adhibitis, quæ in cujusque gentis loco usitatæ sepultura *honesta*, & ab iis per legem negatis *ignominiosa*, *canina* aut *asinina* dicatur. Lauterb. *Coll. Th. Pr. de Relig. & sumt. fun.* §. 12. *seqq.* Thomas. *d. l. n.* 22. *seqq.*

Qu. V. *An dignius est cadaver hominis in terram reponere, an per ignem in cineres redigere?*

℟. Prius videtur dignius, 1. quia Deus ipse corpus Mosis sepelivit. *Deut. XXXIV*, 6. vid. Buchii *Diss. de Certamine circa corpus Mosis*. 2. humatio magis quadrat ad effatum Dei *Genes. III*, 19. & id, quod natura intendit, cum naturaliter aliquid resolvi malit in ea principia, ex quibus coaluit. 3. eadem cadaver indestructum relinquit, combustio vero non sine violentia fit. Osiand. *d. l.* Bernegg. *ad Tacit. qu.* 142. Zentgrav. *d. l.* §. 7.

Qu. VI. *An anthropophagia humanæ naturæ convenit?*

℟. Neg. ob cognationem naturalem in-

inter homines, quæ indignum esse judicat, consortem naturæ pastui exponere. In summa tamen fame carnibus hominum à nobis non cæsorum vesci, miserandus quidem, non tamen nefarius cibus est. Puf. *II. 6. 3.* Less. *de J. & J. L. 4. c. 3. dub. 2.* Meisner *Phil. sobr. P. 3. Sect. 1. c. 5. qu. 3.* vid. Becm. *Pol. Parall. c. 22. §. 7.*

Qu. VII. *Quibus debetur sepultura?*

℞. Omnibus, amicis, inimicis, hostibus publicis &c. officium enim hoc sepeliendi non tam homini i. e. personæ, quam humanitati seu humano generi ob reverentiam communis naturæ debetur. In bello cuncta ex fine metienda, ad finem autem belli nihil facere videtur, si cadavera insepulta abjiciantur, nam hoste mortuo cessat ira, odium, vindicta, & in eorum locum succedunt misericordia & mitiores affectus. Grot. *§. 2. n. 6. & §. 3. ibique* Tesm. Textor. *Synops. J. Gent. c. 15. n. 4. 5. 26. & 27.* Struv. *de Vict. & Clade §. 168. seq.*

Qu. VIII. *Varia tamen exempla sunt sepulturæ hostibus negatæ?*

℞. Sed

℞. Sed exempla illa etiam communi judicio sunt damnata. Ferinum est bellum gerere cum mortuis, qui ejusdem naturæ fuerunt. Sunt ex adverso aliorum exempla, qui hostes sepeliendos curarunt vel tradiderunt. Grot. §.*3*.*n*.*4*. Textor *d.l.* *n*.*28*.

Qu. IX. *An sepultura etiam debetur ultimo supplicio affectis?*

℞. Aff. ob memoriam humanæ conditionis & deforme spectaculum, ne eodem vivi se contaminent *L. 1. & 3. ff. de Cadav. pun. L. 11. C. de Religios. Grot.* §. *4. ibique* Tesm. *lit. a.* Kulpis. *de Jure circa cadav. punit. cap.5.*

Qu. X. *An nunquam his sepultura denegari potest?*

℞. Tunc potest, si ultra mortem quid meriti sint, sic enim per modum pœnæ sepulturâ, ut alio jure competente, puta dominio, dignitatibus privari possunt. Ad hoc autem, ut erga illos omnem commiserationem abjiciamus, requiritur facinus quod in hominem non cadit, sed à feritate quadam proficiscitur. Quorum enim

enim cadavera sine sepultura projiciuntur, feris æquantur. Budd. *d. l.* §. *16.* Felde *ad Grot. b. c.* Osiand. *th. 4. O. 3.* Carpz. *Pr. Cr. qu. 137. n. 70.*

Qu. XI. *Quinam rei sunt istiusmodi facinoris?*

℟. Sunt omnes rei atrocioris criminis, in quibus opus est, ut propter criminis enormitatem negatâ sepulturâ exemplum statuatur. Huc apud multas gentes referuntur proditores patriæ, sacrilegi, famosi latrones & grassatores, fures, & qui ex impia quadam *desperatione* sibi mortem consciverunt. Grot. §. *5. n. 1.* & *5.* ibique Ziegl. & Osiand. Kulpis. *d. l. cap. 2.*

Qu. XII. *Cur apud multas gentes propricidæ insepulti relinquuntur?*

℟. Quia in hos aliud supplicium constitui non potest, qui mortem *pro supplicio non habent.* Licet enim mortui nihil sentiant, quia tamen *fama* post mortem vivit, ea damno & pudore quasi afficitur, & satis est id quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto à peccato retra-

trahantur. Hodie tamen hos etiam, sed non tam honesta sepultura, tumulari videmus. Grot. §. 5. *n.* 1. Kulpis. *d. l. c.* 6. Struv. *Ip. Rom. Germ. Lib.* 3. *tit.* 28. §. 34. vid. Textor. *d. l. n.* 15.

Qu. XIII. *Estne ergo* Αὐτοχειρία *delictum adeo atrox?*

℞. Est, quia vita nostra est esse nostrum, & nobis à natura longè magis quàm vita proximi commendata. Ut autem hunc destruere horridum, ita magis est horridum, se suâ substantiâ exuere, & ne sit propricidio efficere. Grot. §. 5. *n.* 2. Becm. *Doctr. moral. c.* 15. §. 2. Ames. *de Consc. L.* 5. *c.* 31. *qu.* 6. Budd. *Analect. Histor. Philosoph. Exerc. de Errore Stoic.* 4. §. 5. & 6.

Qu. XIV. *Annon tunc licita, si videamus nos victuros in probrum ipsius Dei?*

℞. Neg. ne quidem ut ex præsumta voluntate Dei, quod ipsi in vitam nostram jus sit, licita dici possit, quia hæc præsumta voluntas est contraria expressæ Dei voluntati, quæ est de se non interficien-

ciendo. Et quia Deo perquam facile est, suum probrum modis nobis incognitis avertendi, talem hominem vindicandi & gloriam suam manifestandi, non licet in ejus potentiam aut consilia involare, ac ita peccare ne peccet alter, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Nec pro contraria sententia faciunt exempla. Samsonis & Saulis. Ziegl. & Tesm. *ad Grot.* §.5.*n*.4. Osiand. *ad th.* 5. Stryk. *Diss. de jure hom. in se ipsum c.* 3. *n.* 10. *seqq.* Dissent. Grot. §.5.*n*.4.

Qu. XV. *An nullo respectu videri potest licita?*

R. Nullo, & hinc non probatur si quis se interficiat 1. ne tormentis adactus Christi religionem ejuret, 2. ne virgo pudicitiam amittat, 3. ne ab hostibus captus mortem ignominiosam sentiat, aut tormentis, quibus se parem fore desperat, compulsus, arcana reipubl. cum evidenti ejus malo prodat, aut ne victoriam hosti relinquat. Ex quo factum Navarchæ navem pulvere pyrio incendentis, ne in hostium veniat potestatem, illicitum dicendum.

dum. Loccen. *de Jure maritim. Lib. 3. c. 10.* Schook. *de Imperio maris cap. 26.* Diss. Puf. *VIII. 2. 4.* 4. ut cœlestia gaudia anticipet, ea enim expectanda non capienda, & reos suæ mortis melior vita post mortem non suscipit. Quamvis his in casibus, si quis humanæ imbecillitati cedat, & de facto se ipsum occidat, mitiori hominum judicio excusandus videatur, quam is qui citra necessitatem sese occidit. Gr. §. 5. *n. 4. ibique not.* & Obrecht. Augustin. *de Civit. Dei. Lib. 1. c. 17. seqq.* Becm. *d. l. c. 11.* §. 4. Stryk. *de foro consc. cap. 6. n. 111--125.* Puf. *II. 4. 19.*

Qu. XVI. *An cadavera punitorum ad anatomiam concedi possunt?*

℞. Possunt à magistratu ob publicam utilitatem, ut medici ex inspectione internorum naturam & qualitatem corporis humani eo rectius cognoscant, & hinc promptiorem morborum curam instituant. Tesm. *Differt. de Restit. honor. per anatom. p. 214. seqq.* Kulpis. *d. l. cap. 5. §. 5. seqq.*

Qu. XVII. *An ob negatam sepulturam bellum justum suscipi potest?*

℞. Non, nisi simul ex denegata sepultura concurrat gravis injuria in rempubl. ut si alicujus populi rex in bello occisus à victore ex patibulo suspendatur. Grot. §. 5. *in f. ibique* Muelen. Vitriar. *Inst. J. N. & G. h. c. qu. f.* Thomas. *c. l. n.* 27.

CAPVT XX.

De Pœnis.

Qu. I. *Consideratis factis ut possunt reparari, quomodo ea porro consideranda?*

UT punienda.

Qu. II. *Quid est pœna?*

℞. *Pœna est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis*, à potiori facta denominatione, siquidem & omissionis malum pœnam recipere posse constat. Grot. *II.* 20. 1. vid. Hennig. *h.* §.

Qu. III. *Quæ sunt requisita pœnæ?*

℞. Ut sit 1. *malum passionis* seu molesti alicujus receptio. Nam licet pœnæ loco interdum etiam actiones quædam im-

imperari possint v. gr. exstruere vallum, remigare, portare, purgare plateas &c. in iis tamen spectatur id, quod simul in laboriosa tali actione passio agenti inferatur. 2. ut istud malum sit *ob malum actionis* h. e. *ob delictum.* Hinc pœnæ rationem non habent mala quæ innocens patitur per injuriam, vel quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur, nec martyria, etiam ita dicta politica, 3. ut *invito* infligatur, nam à peccatis non deterretur (qui tamen finis pœnæ est) quæ quis lubens admittit, proinde conventionalis pœna huc non pertinet. Grot. *d. l.* §. *1.* Puf. *VIII. 3. 4.* Thomas. *III. 7. 6.* Becm. *Med. Pol. c. 15. §. 5. & 9.* Dn. Joh. Schultz, *Dissert. de Martyrio politico. & de Sacrific. Status.*

Qu. IV. *An pœnæ sunt incommoda quæ quis patitur ob morbum contagiosum, corpus mutilum, aliamve impuritatem?*

℟. Possunt esse pœnæ divinæ, quas improbis Numen immittit ad gloriam suæ justitiæ, sed non humanæ, quia hæ

ob præcedens delictum requirunt superioris cognitionem & sententiam. Hinc carcer ante sententiam pœnæ speciem non habet, sed ejus finis est, ne reus aufugiat Grot. §. *1. n. 1.* Puf. *d.* §. *4.* Thomas. *d. l. n. 11.* Budd. *El. Phil. Pract. P. 2. cap. 5. S. 1.* §. *20. seq.*

Qu. V. *An punire licitum, an & necessarium est jure naturæ?*

℞. Est quoque necessarium, quia frustra jus naturæ prohiberet delicta, nisi etiam gladium & virgas daret judici, & punire transgressores juberet, pœnæ verò genus cujuslibet Principis curæ relinquit Ziegl. *ad Grot. h. c.* §. *1. & de. J. Maj. L. 1. c. 8.* §. *11.* Dissent. Grot. §. *1. n. 2. conf.* Horn. *de Civit. L. 2. c. 2.* §. *10. n. 3.* Dn. Thomas. *Disp. de jure aggratiandi Princip. Evangel. in causa homicid.*

Qu. VI. *Cujus est jus puniendi?*

℞. Solius *superioris*, sumto vocabulo non in sensu figurato, ut Grotius putat, ac si is qui male egit eo ipso se quovis alio, cui nihil simile objici possit, inferiorem censeatur fecisse, sed proprio, quo is de-

no-

notatur, qui imperium in delinquentem habet, quia hic solus vim judicandi & arcendi injurias, adeoque securitatem suæ societati præstandi, habet. *Privati* non possunt punire, quia pares sunt. Et si in libertate naturali degens ab alio sit læsus, reparationem damni per modum belli exigere licet Puf. *d. l.* §. *7.* Tesm. *ad Gr. h. c.* §. *3.* Becm. *M. Pol. c. 15.* §. *3. & Pol. Paral. c. 15.* §. *1.* Thomas. *III. 7. 31.* Dissent. Grot. §. *3.*

Qu. VII. *Quid si superior æquè nocens sit?*

℞. Nihilominus nocentem punire potest, quia vitia personæ officio ejus nihil detrahunt. Licet sit turpe judici, qui in alio scelus damnat, ipse damnandus Ziegl. *h. c.* §. *3. & in Dicastic. Concl. 48.* Osiand. *in Theol. Casual. P. 3. c. 2. p. 88.*

Qu. VIII. *An quis se ipsum punire potest?*

℞. Neg. quia amoris nostri teneritudo id non permittit *Ephes. V, 29.* & pœna inviti est; quod autem nobis inferimus, invitis accedere non potest. Hinc nec in-

ſtrumentum activum pœnæ ſuæ eſſe poteſt, licet id magiſtratus juſſerit, quia non poteſt tollere amorem naturalem Puf. *d. l.* §. 4. *in med.* Becm. *M. P. c.* 15. §. 3. & *in Conſp. Pol. c.* 17. *p.* 87. Dn. Frid. Chriſt. Büchner *de Philavt. Licit. Segm. poſt. c.* 4. §. 10. & 11.

Qu. IX. *Quinam ſunt inſtrumentum pœnarum?*

℞. In V. T. id fuere *teſtes*, *Deut.* XVII, 7. *vid. Numer.* XXXV, 19. & 21. In regno Perſiæ in homicidiis *proximi agnati*. In Europa *Lictores Carnifices* ut tanto magis hominum manſuetudini conſuleretur, quæ ſatius eſt, ſi à paucis & vilioribus abſit, quam ſi ab omnibus æquè abeſſe requiratur. Hincque communiter iſti homines abominationi ſunt Becm. *d. l.* §. 4. Zepper. *de Legib. Moſaic. L.* 5. *c.* 7. *n.* 3. Teſm. *Diſp. de Reſtit. honor. per Anatom.* *p.* 190-202.

Qu. X. *An pœnam ſumere licet ulciſcendi cauſa ſeu ut læſus voluptatem exinde capiat?*

℞. Non, ſed hoc 1. contra naturam hu-

humanam est, quæ pœnam non expetit nisi ob bonum aliquem finem. In solo autem inimici dolore, ita nudè spectato, nullum est bonum, nisi falsum & imaginarium, ut in divitiis supervacuis, multisque aliis rebus ejusmodi 2. cadit maximè in illos, qui minus rationis habent. Hinc continuo sic collige, quod vindicta nemo magis gaudet quam fœmina Grot. §. 5. Puf. *VIII. 3. 8.*

Qu. XI. *Quis ergo genuinus pœnarum humanarum finis est?*

℞. Alius est *internus*, qui est satisfactio justitiæ, & hunc etiam Deus in omni pœna intendit, alius *externus*, qui respicit *vel* utilitatem ejus qui peccavit, *vel* ejus cujus intererat non fuisse peccatum, quique adeo per peccatum læsus fuit, *vel* indistinctim quorumlibet. Grot. §. 6. Kulpis. *Coll. Grot. h. c.* §. 4.

Qu. XII. *Quomodo per pœnam respicitur utilitas ejus qui peccavit?*

℞. Dum dolore pœnæ ipsius animus emendatur, & peccandi libido per eundem extinguitur. Caro enim quæ impu-

lit ad peccandum doloribus redditur modestior & magis obsequens rationi. Et hoc genus pœnæ in suos *domesticos* exercere relictum est *Patribus familias*, & post hos illis quoque qui loco parentum juventutem gubernant, ut præceptoribus, magistris, quamvis hæ correctiones proprie pœnæ non sint, sed castigationes vi imperii paterni aut similis. *In civitate* competit *magistratui*, ita tamen ut eo solo fine ad mortem procedi non possit. Etsi inemendabili malitiâ laboranti melius aliqui judicent, ut plane non sit, quando certum est vivendo pejorem evasurum. Grot. §. 7. *ibique* Obrecht. Puf. *VIII.3.10.*

Qu. XIII. Quomodo per pœnam quæritur utilitas ejus qui læsus fuit?

R. Si efficitur, ne læsus tale quid inposterum vel ab eodem vel ab aliis patiatur. *Prius* obtinetur, si vel tollatur qui peccavit, vel vires nocendi, salvâ vitâ, ipsi adimantur, vel si malo suo dedoceatur delinquere. *Posterius* obtinetur pœnâ apertâ & conspicuâ in locis publicis, cu-

cujus apparatus ad terrorem aliis incutiendum aptus est. Grot. §. 8. Puf. *d. l.* §. 11.

Qu. XIV. *Cui competit jus exigendi hanc pœnam?*

℞. Illi soli penes quem est summum imperium. Ubi tamen nulla sunt judicia, ut in mari, in locis desertis, adversus eum, qui me insultat, defendere me possum jure belli, etiam eum occidendo. Felde & Osiand. *ad Grot. h. c.* §. 8. Puf. §. 11. Aliter Grot. §. 8. *n. 2. seqq.*

Qu. XV. *Quomodo per pœnam utilitas omnium quæritur?*

℞. Hoc fit, dum id agitur, ut ne qui uni nocuit, aliis deinceps noceat, vel ut exemplo territi cæteri à similibus patrandis abstineant. Quod pari modo atque prius obtinetur, nempè si nocens aut occidatur aut debilitetur, aut constringatur, idque suppliciis conspicuis, quæ παραδείγματα seu exempla vocari moris est, in quæ reliqui inspicientes pii sint. Competitque jus hanc pœnam exigendi his, quibus competebat in præcedenti

quæstione. Puf. §. 12. & 13. Aliter Grot. §. 9. n. 2.

Qu. XVI. *An supplicium capitale de delinquentibus sumere justum est?*

R. Aff. si molliori pœna malum è Rep. tolli non possit, 1. ob favorem innocentum, & quia 2. Respubl. summum jus habet, quod ad id quoque extendi potest, quod in homine summum est, i. e. vitæ ac necis arbitrium. Nec his obstat lenitas Dei quæ Magistratibus ut Dei vicariis sequenda, nec ereptum pœnitentiæ spatium. Nam & *illa* punit. *Levit. XXIV, 16. 17. Exod. XXI, 14. seqq. & XXII, 18. & 19. Matth. XXVI, 52.* vid. Selden. *de Synedr. Ebr. L. 2. c. 13.* & *hoc* conceditur à piis magistratibus. *L. 20. C. de Pœn.* Sed tamen ut, pertinaciter existente condemnato, sententia nihilominus executioni detur & is justo Dei judicio relinquatur. Grot. §. 10. *n.* 8. §. 11. & 12. Carpz. *Pr. Crim. qu.* 101. & *qu.* 137. *n.* 46. Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. I. subsect. 2. de Lege forensi* §. 10. *seqq.*

Qu. XVII.

Qu. XVII. *An Christianum decet nimis avidè affectare officium, quod de sanguine judicium habet?*

℞. Neg. cum ita *se promptum* exhibeat ad effundendum sanguinem humanum. Delatum autem à societate non quidem recusandum, adhuc tamen *periculosum* est de aliis judicare, quia quale judicium in alios ferimus, tale nobis in paribus causis à Deo est expectandum. *Matth. VII, 1. L. 14. C. de Judic.* Grot. §. 16. Ziegl. *Dicast. Concl. 4.*

Qu. XVIII. *Quid præstant leges humanæ permittentes quorundam hominum interfectionem?*

℞. Si *dolori* indulgent, tantum pœnam tollunt inter homines, non vitium, & ideo interfectoribus jus verum apud Deum non præstant, ut in marito qui adulteram uxorem aut adulterum occidit. Si vero *respiciunt periculum futuri mali ex dilatione pœnæ,* censentur privato concedere jus & publicam potestatem, ita ut in eo non videatur esse privatus, & oc-

occidere possit purâ conscientiâ. Hinc qui venientes ad delendam patriam, fures nocturnos, latrones publicos ex permissione legis humanæ occidit, verum jus & potestatem consequitur, quoniam adversus tales, ferum est Legis auxilium expectare. Grot. §. 17. Puf. §. 13. *in f.* vid. Ziegl. *ad Grot. d. §.* 17.

Qu. XIX. *An omnes actus vitiosi ab hominibus puniri possunt?*

℞. Neg. sed in foro humano eximuntur à pœnis (1) *actus meri interni* v. gr. cogitatio delectabilis de peccato, cupiditas, desiderium &c. licet casu aliquo utpote per confessionem subsecutam ad notitiam aliorum perveniant, modo non in actus externos influant. (2) *minutissimi lapsus & inevitabiles humanæ naturæ,* nam ab omni omnino peccato & semper abstinere supra humanam conditionem est. (3) *vitia animi ex communi mortalium corruptione resultantia,* quamdiu in enormes actus non erumpunt v. gr. ambitio, avaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocrisis, invidia, iracundia &c.

&c. (4) *peccata quæ citra convulsionem totius civitatis tolli non possunt*, ut lupanaria in quibusdam locis. Judicio Dei tamen omnia istiusmodi peccata subsunt, qui & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda æquissimus, & ad vindicanda potentissimus. Grot. §. *18. 19. 20. ibique* Tesm. Puf. §. *14.* Becm. *Med. Pol. c. 15.* §. *6. seqq.* Thomas. *III. 7. 103. seqq.*

Qu. XX. *Quid si autem delictum aptum sit, ut in foro humano puniatur, an semper necessario pœna exigi debet?*

℞. Neg. sed quandoque etiam veniæ locus esse potest, & quidem vel *per dispensationem* si pœna penitus tollatur, vel *per mitigationem*, si ea minuatur; utrumque tam *ante* quam *post* legem pœnalem latam. Legis enim humanæ natura est, ut à voluntate Legislatoris dependeat, qui si videt, se sine pœna finem ejus commodius obtinere posse, frustra pœnam exequitur, sed ut totam Legem tollere potest, ita etiam vinculum ejus circa personam aut factum singulare, manente de

cætero lege. Grot. §. *22.* & *24.* Puf. §. *15.* & *16.*

Qu. XXI. *Quando vero summa potestas de pœna dispensare potest?*

℞. Tunc saltem si subsit probabilis causa, & pœna non sit naturâ irrelaxabilis, qualis est pœna homicidii, quam S. Scriptura expresse irrogare jubet. Grot. §. *24. n. 3. ibique* van der Muelen & Ziegl. & *ad* §. *22.* Thomas. *d. l. n. 129. seqq.*

Qu. XXII. *Quænam autem sunt causæ liberandi aliquem à pœna legis?*

℞. Sunt vel intrinsecæ vel extrinsecæ. *Intrinseca* est, cum si non injusta, dura tamen est pœna ad factum comparata. vid. Puf. §. *17.* *Extrinseca*, quæ oritur vel ex merito aliquo ipsius delinquentis, aut ejus majorum, vel ex alia re ipsum commendante, qualis est insigne artificium, intercessio majorum, quod ultimus sit ex illustri stirpe, si particularis ratio legis in aliquo facto cesset &c. Interdum ob multitudinem delinquentium venia danda est, ne pœna, quæ servandæ societati inven-

venta est, ad civitatem evertendam valeat. Gr. §. 25. & 26. Puf. d. §. 17. Anth. Matth. *de Crimin. L. 48. tit. 18. cap. 5.*

Qu. XXIII. *Quid ergo in æstimanda pœna attendendum?*

℞. Duo sunt attendenda, *id ob quod* & *cujus ergo* pœna infligitur. Illud continet *meritum*, seu delictum, hoc *utilitates* ex pœna s. fines. Puniendus nemo est ultra meritum. Intra meriti vero modum magis aut minus peccata puniuntur pro utilitate. Grot. §. 28. Puf. §. 18.

Qu. XXIV. *In merito seu delicto quænam veniunt examinanda?*

℞. Tria, 1. causa quæ impulit. 2. causa quæ à delinquendo retrahere debuit, 3. personæ idoneitas ad utrumque. Quoad *illam* attendendum, neminem gratis malum esse, aut si quem malitia propter se ipsam delectat, eum ultra humanum modum processisse. Attendendum maximam partem mortalium ad peccandum affectibus duci, quorum aliqui impetu quodam impellunt ad declinandum malum,

lum, cæteri ad bonum aliquod tendunt aut verum aut imaginabile. *Ista* alia *generalis* est, sc. injustitia, quæ eo major est, quo majus alteri damnum infertur, alia est *specialis*, puta si præter communem rationem peculiaris quædam accessit, quæ à peccando debeat absterrere. Sic idem specie peccatum notorium à sacerdote commissum gravius censetur eo quod ab alio patratum, cum iste suo exemplo ad sanctimoniam alios præire debeat. *Hæc* aut ad considerandas causas avertentes considerari solet, puta si quis animum habuerit idoneum ad resistendum peccatorum illecebris, aut ad suscipiendos affectus incitantes, quales sunt ætas, sexus, status, opes, vires & similia. Grot. §. *29. 30. 31.* Puf. §. *19 -- 22.*

Qu. XXV. *At in delictis talio requiritur ergo supervacuum ex præmissis cautionibus pœnam definire?*

℟. Requiritur talio, ut pro reparanda injuria facta quis non minus mali patiatur quam fecit, ne nisi tantundem reddatur,

tur; malum perduret *Exod. XXI, 23. seqq.* Cum vero etiam in futurum cavendum, ne amplius committatur injuria, & ut alii exemplo deterreantur, sunt præter talionẽ autores injuriæ graviore malo ac pœna affligendi, ne par sit malum innocentis quam nocentis. Hinc *ibi* æquiparatur malũ ipsi damno seu injuriæ, *hic* pœna malitiæ & hominum ad delinquendum studio, propensioni ac promptitudini pro varia populorum indole. Grot. §. *32.* Puf. §. *23.* & 27. Coccej. *Differt. de proport. furti ac suspend. rupt. laqu.* §. *8. seqq.*

Qu. XXVI. *Quomodo talio recte instituitur?*

℞. Non retributione ejusdem generis mali v. gr. adulterii pro adulterio, injuriæ pro injuria, nam ea ipsa crimen foret, sed (1) ablatæ rei restitutione, cum omni eo quod eo facto alteri abest (2) æstimatione seu pretio loco rei, (3) si tantundem præter pecuniam numeratam aliis rebus, quæ sunt ejusdem valoris, pensetur, & has loco rei ablatæ solvendo damnum restauretur. Illa talio

scriptoribus *simplex* vel *Pythagorica*, hæc *proportionalis* dicitur. Coccej. *Dissert. de Sacrosancto Tal. jure* §. 10. *seqq.* Puf. *d.* §. 27. Hennig. *ad Gr. L.* 1. *c.* 2. §. 5. *p.* 141.

Qu. XXVII. *Quomodo ergo spectatur magnitudo pœnæ?*

℞. Cum respectu ad patientem, nam eadem mulcta pauperem onerabit, divitem non onerabit, & vili ignominia leve erit malum, honorato grave. Grot. §. 33. Puf. §. 25. *ubique* Ziegl.

Qu. XXVIII. *Si constet pœnam posse peccanti infligi, quo nos ducit charitas?*

℞. Ad pœnam non asperam & rigidam sed mitiorem. Nisi justior charitas plurium aliud suadeat ob caussam aliquam *extrinsecam*, quæ est, si ingens periculum ab eo qui deliquit, immineat, aut sit necesse, ut exemplum statuatur, quo reliquis terror incutiatur, præsertim ubi præsto sunt generalia peccandi incitamenta, quæ non nisi asperis remediis coërceri possunt, inter quæ præcipua

sunt

sunt *facilitas* & *consuetudo*. Grot. §. *34. 35. & 36. ibique* Ziegl. & Tesm. Puf. §. *23.*

Qu. XXIX. *Quid si cessent rationes ex quibus tollitur pœna?*

℞. Cum tuto judex eam non possit donare, tamen eam temperare, & modum pœnæ mitigare debet, seque si fieri possit, faciliorem ad absolvendum, quam condemnandum præbere. Et hoc Grotio dicitur *altera pars clementiæ seu juris aggratiandi.* Grot. §. *36. ibique* van der Muelen vid. supr. *qu. 19.*

Qu. XXX. *An ad punienda delicta etiam bellum suscipi potest?*

℞. Nullum datur bellum pœnale, quia pœnam non nisi superior delinquenti ob transgressionem Legis infligit, gentes autem, cum inter se sint pares, una alteram punire nequit. Imo ex contraria sententia infinita mala consequerentur, eo quod innocentissimi sæpe involverentur. Budd. *Ph. Pr. P. 2. c. 5. S. 2. §. 5.* Osiand. *ad Gr. L. 2. c. 1. th. 2. Q. 3.*

Diſſent. Grot. §. *38.* & *L. 2. c. 1.* §. *2.* Huber. *de J. Civ. L. 2. S. 6. c. 1. n. 7.* & *8.*

Qu. XXXI. *An ob violatum Jus naturæ nulla in ſe & ſubditos ſuos redundante injuria ab extera Rep. pœnam ſumere liceat?*

℞. Grotius id ſub certis cautionibus affirmat §. *40 -- 43.* cujus ſententiam multis rationibus corroborare ſatagit. Teſm. ad *d.* §. *40. lit. b.* vid. tamen Hert. *Opuſc. Tom. 1. de Social. Sect. 3.* §. *25.* Nos negativam defendimus, quia deficit ſuperior, à quo tantum pœnæ dictantur. Unde conſtat, Americanis ἀνθρωποφαγίας cauſa non potuiſſe ab Hiſpanis bellum inferri. Zentgrav. *de Orig. & verit. J. G. Artic. 3.* §. *8.* & *9.* Joh. Jacob. Saar. *in Itiner. Indic. Præfat.* Becm. *M. P. c. 23.* §. *7.* & *Pol. Parall. c. 22.* §. *7.*

Qu. XXXII. *Ob delicta in Deum commiſſa an bellum pœnale ſuſcipi poteſt?*

℞. Poſſe etiam affirmat. Grot. §. *44. ſeqq.* nomine humanæ ſocietatis, cujus intereſt non contaminari vinculum ejus, quod

quod religio est. Sed & hic verior est sententia negativa, quod puniendi effectus nullus sit à natura, sed à Jurisdictione propriè pendeat. Ubi ergo hæc non adest, ibi quoque nulla puniendi est potestas. Injuriæ igitur in Deum, solum Deum judicem expectant. Tacit. *1. Annal. 73.* Osiand. *th. 44.*

Qu. XXXIII. *An bellum inferri potest populis, qui christianam religionem nolunt amplecti?*

℞. Neg. quia religionis hujus veritas penitus in animum demitti nequit, quam *doctrinâ & sedula institutione.* Vi & mandatis, nulla accedente doctrina, fidem exigere, est velle imperare intellectui, qui leges non audit. Alias omnia pro arbitrio superioris mandantur, sola religio non imperatur, sed ex percepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratia benè præparatis mentibus infunditur. Grot. *§. 48. n. 1. & 2.* Puf. *de habitu relig. christ. ad vit. civil. §. 49. seqq.* Becm. *de Bell. Domini c. 1. §. 19. & in M. Pol. c. 23. §. 6.* Ziegl. *de J. Maj. L. 1. c. 16. §. 3.*

Qu. XXXIV. *An viceversa pœnis subdendi christiani, ideo quia christianismum docent aut profitentur?*

℟. Neg. quia nihil est in disciplina christiana, quod humanæ societati noceat, imo nihil, quod non prosit, neque nova inde metuenda, nam non omnia dogmata, quamvis nova, metuenda, si ducant ad honesta, & ad exhibendam superioribus obedientiam. Hinc qui in tales sæviunt, ipsi in ea causa sunt, ut puniri justè possint. Grot. §. 49. Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 2. Art. 2.* §. 17--20.

Qu. XXXV. *Quid de suppliciis christianorum in alias christianæ religionis sectas?*

℟. Periniquè faciunt qui suppliciis aut bello grassantur in eos, qui Christi Legem pro vera habent, sed dubitant aut errant in quibusdam, quæ extra Legem sunt, aut in lege sensum habere videntur ambiguum, & ab antiquis Christianis non sunt eodem modo exposita. Grot.

§. 50.

§. 50. *ibique* Tesm. & Osiand. Becm. *de Justitia armor. Cebennens. c. 3. §. 2. seqq.*

CAPUT XXI.

De

Pœnarum Communicatione.

Qu. I. *An pœna alium quam delinquentem comitari potest?*

NEg. quia aptitudo ad pœnam ex merito oritur, cujus fundamentum est sua cujusque voluntas, quâ homini nihil magis proprium, quæque vitium contrahere non potest, nisi ex motu intrinseco. Aliquando tamen pœna transit in eos qui delicti sunt participes; Grot. *II. 21. 1. & §. 12.* Puf. *VIII. 3. 30. & 33.*

Qu. II. *Quando transit in delicti participes?*

℞. Si in ipsis etiam aliquid vitiosum hæreat facto suo aut omissione. Sed ita non tam puniuntur ex delicto alieno quam suo, ferèque iisdem modis in delicti partem veniunt, quibus in damni dati *supr. c. 17. qu. 7.* Grot. §. *1. n. 2. & §. 2. n. 1.* Puf. *I. 5. 14.*

Qu. III. *An rectores in illorum, quos regunt, crimen veniunt?*

℞. Aff. Sic pater ex delicto liberorum tenetur, dominus ex servi, magistratus ex subditorum. Grot. §. *2. n. 1.*

Qu. IV. *Ut hi teneantur quid requiritur?*

℞. P*atientia* aut *Receptus*. Ob patientiam tenentur, si *sciant* à subditis suis delinqui, nec tamen *prohibent*, cùm *possint* ac *debeant*. Sciri præsumuntur quæ *perspicua* sunt, & quæ sunt *frequentia*. Grot. §. *2. n. 2. 4. 5. ibique* Tesm. *lit. o. & n.* Heding. *Sicilim. Phil. b. c.* §. *1.*

Qu. V. *An jus est aliis civitatibus persequendi delicta ad societatem humanam aliquo modo pertinentia?*

℞. Aff. nam ut convenit, institutis civitatibus singulorum delicta, quæ *ipsorum coetum* proprie spectant à suis rectoribus pro arbitrio puniri, aut ea dissimulari; ita delicta ad *humanam societatem* pertinentia puniendi aliis civitatibus jus est, ad instar actionis popularis in singu-

lis

lis civitatibus de quibusdam delictis. Grot. §.*3. ibique* Muelen.

Qu. VI. *Quid ergo si alibi delinquens se hic receperit?*

℞. Si eum rectores in sua civitate tolerant, tenentur *ex receptu.* Ut enim reatu se exsolvant, *alterutrum* facere debent, ut interpellati nocentem aut pro merito ex sua Jurisdictione, quam in eum habent, puniant, aut eum dedant. Interdum sontes deposcentibus *Optio* datur, quo cumulatius satisfiat. Grot. §. *4. n. 1. 2. 3. 4.*

Qu. VII. *An qui à sua civitate dediti, nec recepti sunt ab aliis, cives manent?*

℞. Aff. quia ut jura & bona alia amittantur, opus est decreto vel judicis vel legis, quod quia hic non adest, jura & bona manent ejus, cujus antea fuerunt. Grot. §. *4. n. 7.* Dissent. *ibi* van der Muelen.

Qu. VIII. *An igitur deditus adhuc à suo populo puniri potest?*

℞. Aff. quia deditio nec dat jus puni-

 endi,

endi, quippe quod jam jure naturæ habebat læsus, nec adimit dedenti, sed tantum tollit executionis impedimentum, quod erat, eum qui læsit, esse in aliena ditione ac territorio. Grot. *d. l. ibique* Gronov.

Qu. IX. *Quid si vero accepta deditio & deditus postea casu aliquo reversus sit?*

℞. Is civis non erit, sed ex novo beneficio populi aut regentium ei danda civitas. Grot. *d. l. in f.*

Qu. X. *An deditio ad eos pertinet, qui post delictum ad asyla confugerunt?*

℞. Aff. hæc enim, quæ vocantur Kirchen-Freyheit und Gottes-Friede, non pertinent ad nocentes, sed ad infortunatos. Qui enim commiserunt aliquid societati humanæ aliisve hominibus injuriosum, illis sanctissimum Dei altare non patrocinatur, sed aut puniendi, aut dedendi, aut amovendi. Grot. §. 5. *n.* 1. & 2. vid. Hert. *Opusc. Tom.* 2. *de. Super. Territ.* §. 11. *n.* 13.

Qu. XI.

Qu. XI. *Quid dicendum de illis asylis, quæ omnes promiscuè sceleratos recipiunt?*

℞. Speluncæ illa potius sunt latronum, quam loca religiosa. Tesm. *b.l.* §.5. *lit.* *b.* Becm. *M. P. c.* 15. §. 23.

Qu. XII. *Si non dedimus sed ipsi punimus delinquentem, secundum quam legem judicandus?*

℞. Si delictum est commissum contra *Gentium aut naturæ jus*, secundum civitatis nostræ jura, quia istud jus pœnas non determinat; sin secus, secundum *jura loci unde fugit*, non ubi hæret, quia contra hæc in specie non peccavit, & ea fortè non arguunt, peccatum apud se esse, quod alibi tale est. Grot. §. 6. *ibique* Tesm.

Qu. XIII. *Quomodo ex facto superiorum teneri possunt subditi?*

℞. Si in crimen *consenserint*, aut si quid fecerint summæ potestatis *imperio aut suasu*, quod facere sine facinore non poterant; quanquam puniendi tantum, qui in delictum consenserunt, non qui alio-

aliorum sententiis victi. Tali enim casu pars major decretum non facit, nec minorem partem obstringit. Grot. §. 7. *ibique* Tesm. *lit. e.*

Qu. XIV. *Sed tota universitate punita, quomodo non consentientes impuniti manent?*

℞. In illis, quae *conjunctim* cum civitate possidebant, ut aerario, agris publicis, armis &c. in poenam civitati ademptis, sentiunt non poenam, sed *damnum aliquod fatale*, quod divinitus immissum patienter ferendum. Illa vero, quae non nomine & beneficio universitatis obtinebant, omnia salva retinent. Grot. §. 7. *n.* 2. & 3. Puf. *VIII.* 3. 30. 31.

Qu. XV. *An poena Universitatis & poena singulorum differunt?*

℞. Aff. 1. Singulorum poena interdum est mors, ejus vicem in universitate sustinet dissolutio. vid. Henel. *in otio Vratisl. cap.* 8. 2. singuli quandoque poenae nomine in servitutem rediguntur, civitas servitutem civilem subit in provinciam redacta, 3. singuli bonis mul-

mulctantur, civitati adimi solent quæ habet communia muri, navalia, ærarium &c. Grot. §. 7. *n*. 2. *ibique* Tesm. Puf. *d. l.* §. 28.

Qu. XVI. *An ob delictum universitatis pœna semper exigi potest, si delictum ante duas aut tres generationes commissum?*

℞. Neg. exspirant enim delicta universitatum, quando nemo amplius superest eorum, quibus *consentientibus & cooperantibus* delictum fuit patratum, neque idem à sequentibus per actum aliquem continuatum. Grot. §. 8. *n*. 1.

Qu. XVII. *At eadem tamen civitas manet, mutatis licet singulis, E. semper obligatio manebit ad pœnam?*

℞. Civitas eadem manet *in iis, quæ primo & per se ad civitatem pertinent,* qualia sunt ærarium, leges & similia; non eadem manet *ratione eorum quæ non nisi ex derivatione à singulis ad civitatem pertinent,* quæque solum ad eam cum respectu ad personas referuntur, ut cum Civitas dicitur docta, fortis, temperans &c. fit hoc quando plurimos cives

ves habet doctos, fortes, temperantes; ea enim, si tales decesserint nec alii pare superfint, non amplius talis dicitur. Ex hoc genere etiam est, si dicamus Universitatem aliquam pœnas esse commeritam. Meritum enim singulis tanquam animum habentibus convenit, non Universitati, quæ ut distinctum quid à singulis concipitur, animum, per quem edere posset actiones, meriti immediatè capaces non habet. Unde extinctis illis singulis, consequenter etiam ipsum delictum extinctum est; & proinde aptitudo ad pœnam cessabit. Grot. §. 8. *n. 1. ibique* van der Muelen. Puf. *d. l.* §. 29.

Qu. XVIII. *Deus tamen delicta parentum in liberis post tertiam aut quartam generationem punire potest?*

℞. Deus *non punit* delicta parentum in posteris, nisi & ipsi impii fuerint, vel de delictis parentum communicaverint. Deus vero quia plenissimum jus habet ut in res nostras ita in vitam nostram, tanquam munus suum, quod sine ulla cau-

sa

sa & quovis tempore auferre cuivis, quando vult, potest, aliquando *jure dominii* non pœnæ utitur, & liberos immatura ac violenta morte rapit, hocque facto gravius punit parentes. Alia ratio est in homine, qui in vitam subditorum nullum jus habet, nisi ex delicto præcedente. Grot. §. 8. *n.* 3. & §. 14. *ibique* Ziegl. & Osiand.

Qu. XIX. *Ecquid causæ, quod Deus non ultra istam generationem peccata in posteris se vindicaturum minetur?*

℞. Quia *eousque pertingit* hominum *memoria*, ut qui viderunt delicta, etiam videant vindictam, & ut ipsi delinquentes parentes liberorum miserias videant, eoque atrocius torqueantur, vel, si ad illam ætatem non pervenerint, *cum metu* decedant, ad liberos ista mala perventura esse. Grot. §. 14. *n.* 1. *ibique* Tesm. *lit.* g. & Osiand. *p.* 1209. Becm. *Consp. pol. c.* 9. *p.* 49.

Qu. XX. *An in eos, qui non sunt delicti participes, pœna non transit?*

℞. Pœ-

℞. Pœna in eos nunquam transit, scilicet, ut damno *directè* afficerentur, quo alicui auferretur ad quod jus proprium habet, ob rationem *qu. 1. h. c. per consequentiam* vero damnum illis obvenire potest, ut non habeant quod alioqui habituri fuissent, si alius non deliquisset. Aliquando quis occasione peccati alterius quid mali patitur, sed ejus caussa proxima non est peccatum alterius, verum spontanea sua promissio. Grot. *§. 10. & 11.*

Qu. XXI. *Quibus per consequentiam istiusmodi damnum obvenit?*

℞. Ita liberi perduellium ob parentum delictum nihil amittunt quod ipsis proprium est, velut vita, corpus, membra, sed omnia hæc incolumia illis manent; amittunt vero quæ ex beneficio civitatis illis debentur ut dignitas, jus domicilii, *L. 5. C. ad. L. Jul. Maj.* Sic qui pro delinquente fidejussit, ad pœnam pro eo tenetur, sed malum illi ferendum mensuram accipit non ex delicto alterius, sed ex potestate, quam in promittendo

do habuit, Grot. *d.* §. *11.* Kulpiſ. *h. c.* §. *4.* Puf. *VIII. 3.30. ſeqq.*

Qu. XXII. *An ergo civitas liberis occaſione paterni delicti auferre poteſt, quæ à civitate habituri erant?*

℟. Aff. ſi talia pendeant à voluntate civitatis v. gr. honor, quo caſu quidem liberis id in pœnam non redundat, quia civitas de his pro arbitrio diſponere, & ex aliis cauſis etiam talia liberis denegare poteſt, parentibus verò pœna eſt, dum ſciunt liberos ipſorum inglorios vivere. Grot. §. *16.* Cic. *ad Brut. Ep. 12.*

Qu. XXIII. *Quid de legibus habendum, quæ liberos vel propinquos capite puniunt ob crimen paternum vel cognati?*

℟. Leges iſtæ injuſtæ ſunt, nam unusquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. Grot. §. *13. n. 2.* §. *14. n. 4.* & §. *15.* Hennig. *ad d.* §. *13.*

Qu. XXIV. *Quousque quis pro aliorum delictis fidejubere ſeu ſe interponere poteſt?*

℟. Saltem *ad mulctam* seu pœnam pecuniariam pro damno delicto dato, vel de reo sistendo sub certa pecuniæ summa, si non sistatur. Non ad *mortem* vel *membri abscissionem*, quia 1. delictum est personale quid, quod personam delinquentis non egreditur, cui correspondens pœna à reo ad innocentem devolvi nequit. 2. quia tanta potestas homini in propriam vitam aut membra sua non competit, ut ex nudo consensu, nullo bono publico, eadem abjiciat, ne alter, quod meritus est, patiatur. Neque *ad exilium*, quia in exilio alii quam delinquenti irrogato nihil est, in quo Reipubl. satisfieret ad emendationem, ad exemplum, ad vindictam, quorum tamen gratia pœnæ inventæ sunt. Grot. §. *11. n. 2.* Puf. *V. 10. 12. & VIII. 3. 32.* Huber. *Præl. ad J. de fidej.* §. *2. & ad ff. d. t.* §. *2.* Dissent. quoad exilium. Grot. *d. l. n. 3. & ibi* Ziegl.

Qu. XXV. *Quæ diximus de liberis an ad populum verè subditum applicari possunt?*

℟. Aff.

℞. Aff. ita scil. ut talis populus ob delictum Principis non pœnâ sed aliquo incommodo per consequentiam afficiatur. Quod si accessit populi consensus & approbatio, non tam ob regis delictum, quam suum consensum obligatur. Grot. §. 17. *ibique* Tesm.

Qu. XXVI. *Ob Davidis tamen peccatum Deus populum pestilentiâ confecit?*

℞. Pœna hæc fuit regis, cujus acerbissimum supplicium est, si populus miseriis affligatur, deinde & populi ob proprium delictum, nam dicitur *2. Sam. XXIV. 1. furorem Dei exarsisse contra Israel.* Verba vero Davidis: *Oves istæ quid fecerunt? d. c. v. 17.* populum non ab omni peccato excusant, sed potius referunt, quanta ipsius charitas fuit erga populum, cui à Deo præfectus. Grot. §. 17. *ibique* Osiand. & Tesm. *lit. g.* Bebelius *de Davide pecc. & pœnit. c. 2. S. 2. qu. 4.*

Qu. XXVII. *An heres delinquentis de pœna tenetur?*

℞. Neg. quia heres personam defun-

cti non refert in meritis, quæ sunt merè personalia, & propter quæ pœna unicè infligitur, sed in bonis, quibus cohærent ea, quæ alicui debentur ex ipsa rerum inæqualitate. *L. 22. C. & L. 41. ff. de Pœn.* Grot. §. *19.*

Qu. XXVIII. *Quid si vero ultra meritum nova quadam causa obligationis extiterit?*

℞. Si cum defuncto super eo quod in pœna est contractus vel quasi, puta per litis contestationem, sit initus. *L. 3. §. 11. ff. de Pecul.* heres ad id obligatur, quia istud tunc æs alienum est, quod tam à defuncto, quam herede, utpote qui tantum acquirit patrimonium defuncti, exigi potest. Ad pœnam autem ex crimine, ne quidem per L. C. tenetur, quia ejus vindicta & pœna ad Rempubl. pertinet, de qua contrahendi facultatem privati nullam habent. *L. ult. ff. ad. L. Jul. Maj. L. 2. 3. 4. & f. C. Si reus vel accus. L. 27. §. 4. ff. de pact.* Grot. §. *20.*

CAPUT

CAPUT XXII.

De causis injustis.

Qu. I. *Quantam vim habet in bellis justitia causæ & armorum?*

VIctoriæ spem sibi facere potest, qui curat justificas causas, quia Deus, qui præest rebus humanis & immutabiliter justus est, non fert ab iniqua armorum causa felicem successum sequi. Nec justitia esset impiæ causæ favere, & jam ante spoliatum denuo per iniqua arma spoliare & in prædonem nova victoriæ spolia seu invasionis præmia conferre. Grot. *in Prol.* §. 27. *ibique* van der Muelen.

Qu. II. *At sæpe contrarium fit & victoria cadit à parte manifestè injusta?*

℞. Hoc ex culpa hominum accidit, quando pars læsa debitam in bello gerendo diligentiam non adhibet, vel temerè bellum orditur. Et si bello Deus impietatem & delicta populorum vindicet, non attenditur quid juris partes in

invicem afferant, Deique non suam causam invasor hoc casu exequitur. Coccej. *de justo Prael. exitu Sect. 3. sqq.* Osiand. *Theol. Casual. P. 2. p. 1313.* Struv. *de Victoria & clade* §. *172. sq.*

Qu. III. *Quid est causa belli injusta?*

R. Est causa, quâ absque praecedente injuria facta vel inferenda bellum movetur. *supr. h. l. cap. 1. qu. 1. & 3.*

Qu. IV. *Qualia sunt bella, quae ex injusta causa geruntur?*

R. Illorum qui *nec justificâ nec suasoriâ* causa sed amore caedis & sanguinis in bella feruntur, *ferina* sunt, & vitium eorum humanum modum excedit. Illorum, qui solas *suasorias* habent *sine justificis*, contentiones *latrocinia* dicenda non bella, nec justi hostes sed rectius praedones aut latrones appellandi. Alii qui causas *quasi justificas* afferunt, sed expensae ad rectam rationem injustae reperiuntur, quorum bella adhuc iniqua dicenda. Grot. *II, 22. 2. 3. 4.* Burger. *Cent. 1. Obs. Pol. jur. milit. 4.*

Qu. V.

Qu. V. *Quæ autem ſunt cauſæ injuſtæ?*

℞. Cognoſci aliquatenus poſſunt ex juſtis cauſis. Rectum enim obliqui eſt index. Summa genera ſunt (1) metus ex præſumta vicini potentia, niſi certitudine morali conſtet non ſolum de potentia ipſa, ſed & nocendi animo *ſupra c. 1. qu. 37.* (2) ſi vicinus nulla pactione impeditus in ſuo arcem faciat aut munitionem aliam, quæ damnum aliquando dare poſſit. (3) ſola utilitas citra neceſſitatem (4) negatum matrimonium in laxa fœminarum copia *ſupra c. 2. qu. 41.* (5) cupiditas melioris ſedis (6) libertatis deſiderium, quaſi illa naturaliter & ſemper quibusvis competat. *ſupra c. 4. qu. 25.* Grot. *h. c. §. 4. 5. 6. 7. 8. 11.*

Qu. VI. *Quæ ſunt aliæ injuſtæ belli cauſæ?*

℞. (7) Inventio rerum ab aliis poſſeſſarum, licet poſſeſſores ſint improbi, de Deo malè ſentientes aut hebetis ingenii, nam inventio eſt rerum quæ nullius ſunt. (8) Voluntas regendi alios tan-

quam naturaliter servos, quibus hoc fieret ad ipsorum bonum (9) Titulus universalis imperii, quem aliqui Imperatori alii Ecclesiæ vindicant (10) Voluntas implendi vaticinia sine Dei mandato (11) violenta petitio ejus, quod non ex justitia propria, sed alia virtute puta liberalitate, gratia, misericordia &c. debetur. Grot. §. *9. seqq. ibique Commentat.* (12) Recuperatio terræ sanctæ per expeditiones cruciatas mediis seculis. Dn. Budd. *Select. J. N. & G. Exerc. de Expedit. cruciat. §. 4. seqq.* Becm. *Differt. de Bell. Dom. c. 1. §. 18.* Stypmann. *de Jure marit. P. 1. cap. 6. n. 650. seqq.*

Qu. VII. *An unquam extitit aut intendi potest universalis Monarchia?*

℞. Neg. utrumque 1. quia res est humanis consiliis altior. 2. moraliter impossibilis, sicut enim navis aliqua ad eam magnitudinem pervenire potest, ut regi nequeat, ita & hominum numerus & locorum distantia tanta esse, ut unum regimen non ferat. 3. contra Dei arbitri-

um

um & providentiam intenditur. Ideo enim tot tamque diversas linguas & dispares mores immisisse videtur gentibus, tot limites posuisse orbis partibus, ut discernerentur populi, regna & imperia, quæ in unum corpus redacta, ob immensam molem, quis unus vellet regere? 4. usus & exempla docent, quod ab orbe condito discreta fuerint imperia, nec ab Alex. M. aliisque potuerunt uni sceptro submitti. Grot. §. *13. n. 1. in f.* Conring. *de Germ. Imper. Rom. c. 2. & 3.* Schütz. *de Statu rei Rom. Vol. 1. Ex. 3. th. 10. lit. e. ibique* Scharsmied. Fritsch. *ad Limn. l. 2. c. 7.* Dissent. Auber. *de justis pratens. Reg. in Imper.* & Felde ad Grot. *II. 9. 12.* cui resp. Zentgrav. *de Orig. J. Gent. art. 2. §. 5. seqq.*

Qu. VIII. *An Ecclesiæ rectè adscribitur jus in populos ignotæ hactenus partis terrarum?*

℞. Neg. quia Christus ipse, à quo fluxit omnis potestas ecclesiastica, negat regnum suum de hoc mundo esse, & quia jus judicandi, quod Apostolicis competiit, cœlestis fuit ingenii, non terrestris,

non per arma sed verbum Dei exercendum. Grot. §. *14. ibique* Osiand. Puf. *de Habitu Rel. Christiana* §. *29.* Ziegl. *de Episc. milit. cap. 1.* §. *2. seqq.*

Qu. IX. *An ob ingratitudinem non est justa belli causa, nec actio in foro institui potest?*

℞. Distingv. inter *simplicem ingratitudinem* quæ vel vulgaria humanitatis officia vel beneficia benefactori negat, & inter *ingratitudinem pregnantem*, quæ non tantum nihil rependit sed & insuper benefactorem lædit. *Hæc* causam belli præbet & actionem in foro parit, vel potius actionem ex delicto aliquo ortam & jam competentem aggravat. *Illa* belli causa non est, nec ob eam actio competit, quia pars optima beneficii periret, si actio uti certæ pecuniæ daretur, jam enim creditum esse inciperet. Ingratus tamen talis aliis hominibus exosus existit, & quia fertur in vitia, omni bonorum usu in vita humana se exuit & indignum se reddit. Coccej. *de Antidoris Tit. 2. sqq.* Puf. *III. 3. 17.* Thomas. *II. 6. 53. seqq.*

53.*seqq.* vid. *supr. l.2.c.2. qu. ult.* Aliter Bœcler. *diss. de Act. ingrati.*

Qu. X. *An bello ex causa justa potest accedere vitium ex animo agentis?*

℞. Aff. si cum jure meo misceam cupiditates honorum & divitiarum, si gaudium concipiam in malo alieno sine boni respectu. Ad salvandam enim conscientiam coram Deo non sufficit justam habere belli causam, sed & puritas animi accedere debet. Utut autem qui sic bellum gerit peccato implicetur, injustum tamen bellum non erit, nec ex tali bello restitutio debetur. Grot. §. *17. ibique* Tesm. Dissent. *ibi* Ziegl.

CAPUT XXIII.
De causis dubiis.

Qu. I. *Si quod agitur justum sit ipsa re, an propterea adhuc aliud quid requiritur?*

Requiritur ut fiat certa & firma animi persuasione atque ita dictante con-

conſcientia juſtum id eſſe. Conſcientiæ enim dictamen nobis agendi regula eſt, quam qui non audit, Deo intra ſe loquenti præcipientique obnititur & proindè peccat. Conſequenter ubi dubitatio, an juſtum ſit, oboritur, omnis actio vitium trahit: Grot. *II. 23. 2. ibique* van der Muelen. & Teſm.

Qu. II. *Unde oritur iſtiusmodi dubitatio?*

℞. Non ex ipſa diſciplina morali, quæ in actionibus humanis conſiderat, quid juſtum vel injuſtum ſit, & non minus certa eſt ac diſciplina mathematica, cum fundamentum ejus ſit convenientia actionis cum ipſa voluntate divina; ſed ex circumſtantiis facti, quæ poſſunt efficere ut dubitetur, recedatne illud ab eo quod juſtum & æquum eſt, an vero ad idem propius accedat. Puf. *I. 2. 4. in. f.* & *§. 9.* Budd. *Analect. Hiſtor. Philoſ. Ex. de Scepticiſmo morali §. 26. ſeqq. vid. Proleg. qu. 4.* Aliter Grot. *d. l. §. 1.*

Qu. III. *Quid eſt Conſcientia?*

℞. *Eſt judicium intellectus circa actiones*

nes cognitione legum imbuti. Hæc prout actionem hominis antecedit, dictitans quid bonum quid malum sit, & ideo agendum vel omittendum, dicitur *Antecedens*, prout actiones jam commissas vel approbat vel damnat, *Consequens* dicitur, dumque testimonium affert parit tranquillitatem aut anxietatem. Puf. *l. 3. 4.* vid. Balduin. *de Casib. Consc. L. 1. c. 1.*

Qu. IV. *Quot aliæ sunt species conscientiæ?*

℞. Vulgo dividitur in *Rectam* seu *certam*, *probabilem*, *dubiam*, *erroneam*, *scrupulosam*.

Qu. V. *Quid est Conscientia recta seu certa?*

℞. *Est judicium hominis de eo quod agendum vel omittendum est ita informatum, ut sententiæ suæ certas & indubias rationes reddere queat.* Et de hac observanda regula: Quicquid fit vel omittitur sponte contra conscientiam rectam, peccatum est, quia fit contra legem. Puf. *l. 3. 5.*

Qu. VI.

Qu. VI. *Quid probabilis?*

℞. *Est quæ probabiliter judicat, partem electam in aliquo opere honestam esse, timet tamen ne forte & altera pars contraria honesta sit, quia saltem notitiæ suæ probabilem rationem habet.* De hac hæc regula tenenda: Illud suscipiendum quod maximè honestum, securum & utile videtur. Et: qui non habent ut activum judicium rectè conforment, tenentur audire sapientum consilia. Grot. *§. 3. ibique* Ziegl. Puf. *d. l. §. 6. & 7.* Bald. *c. 9.*

Qu. VII. *Quid est conscientia dubia?*

℞. *Est quando in casibus potissimum singularibus judicium intellectus anceps hæret, & dum ex utraque parte se offerunt rationes, discernere nequit, utra præponderent, & num aliquid agendum vel omittendum sit.* vid. Thomas. *l. 1. 59.* Titius *ad Puf. de O. H. & C. L. 1. c. 1. §. 6. O. 18.*

Qu. VIII. *Quid dubitante conscientia faciendum?*

℞. Actio

℞. Actio erit ſuſpendenda. Nam nondum diſcuſſâ dubitatione ad agendum ſe determinare, propoſitum peccandi involvit. Perindè enim eſt, ac ſi agens dubia conſcientia dicat: licet quidem mihi non conſtet, an hæc actio legi conveniat an repugnet, nihilominus, ſive conveniat ſive repugnet, eandem ſuſcipiam, quod ſignum eſt hominis legem negligentis. Ubi tamen alicui omnino faciendum fuerit, tunc dubitans eligere debet, quod ſibi tutisſimum videtur. Grot. §. *2. ibique* van der Muelen. Puf. *d. l.* §. *8.*

Qu. IX. *Quid eſt Conſcientia erronea?*

℞. *Eſt judicium hominis præ vero falſum apprehendens, illudque agendum vel omittendum dictitans, quod ſuſcipi aut omitti non debet.*

Qu. X. *An hæc conſcientia obligat?*

℞. Obligare communiter volunt, quia unusquisque tenetur agere ſecundum judicium intellectus ſui, cum aliam regulam ſequendi intra ſe non habeat. Imo qui agit contra conſcientiam, agit con-

contra voluntatem Dei non quidem *materialiter* & verè, attamen *formaliter* & interpretative. Grot. §. *2. n. 1. ibique* Ziegl. Ameſ. *de Conſc. l. 1. c. 4. §. 6. & 9.* Becm. *Doctr. moral. c. 5. §. 7.* vide tamen diſtinguentem Balduin. *d. l. c. 7.*

Qu. XI. *Quæ dicitur ſcrupuloſa conſcientia?*

℞. *Ea, quando animi formido judicium comitatur, ne forte id ipſum malum ſit, quod bonum aliquis exiſtimaverit, & contra.* Hic ubi ſcrupulus ejusmodi probabilibus argumentis nititur, actio ſuſpendenda erit, donec eximatur rationibus aut ſapientum autoritate. Si autem ex molli quadam ſuperſtitione oritur, negligendus erit, & peccato carebit, quod contra ſcrupulum agamus. Puf. *d. l. §. 9.* Becm. *d. l. §. 8.* Balduin. *c. 10.*

Qu. XII. *Quid ſi ſententiæ ſint alternantes circa bellum & pacem?*

℞. Vergendum ad pacem, quia bellum eſt maximi momenti, ut ex quo mala plurima etiam innocentes ſequi ſoleant. Grot. §. *6. ibique* Teſm. *lit. b.*

Qu. XIII.

Qu. XIII. *Quot modis vitari potest, ne controversiæ in bellum erumpant?*

℞. Tribus, I. *Colloquio*, II. *Compromisso*, III. *Sorte.*

Qu. XIV. *Quomodo colloquio?*

℞. Quando amicabili disceptatione lis componitur. Est enim hic modus proprius hominis, cum omnia prius verbis experiri sapientem deceat, quam armis. Evitari tamen potest istiusmodi colloquium 1. si constet non bona fide id peti, sed ut colligantur tempus & vires dispersæ 2. quando sub colloquii specie parantur insidiæ, & vix unquam ipse Princeps hanc fortunam subire debet. Grot. §. 7. *ibique* Tesm.

Qu. XV. *Quomodo per Compromissum?*

℞. Quando colloquio nihil proficiente, dissidentes reciproca promissione in *arbitrum* consentiunt, hac lege, ut instar judicis litem arbitrio suo definiat, cui se staturos pollicentur. Grot. §. 8. *ibi-*

que Tesm. Bunnem. *Tr. de Pace Polit. Diss.3.*

Qu. XVI. *Quomodo Sorte?*

℟. Si controversia judicio fortunæ committitur, ea enim nihil iniqui continet, sed tantopere à Salomone laudata. *Prov. XVIII, 18.* & Apostolis usitata. *Act. 1. inf.* Grot. §. *9.*

Qu. XVII. *Quid affine est Sorti?*

℟. Certamen singulare, cujus usus non videtur omnino repudiandus, si duo, quorum controversiæ alioqui totos populos gravissimis malis sunt implicaturæ, inter se parati sint armis decernere. Quæ ratio enim est belli s. plurium in plures, eadem est singulorum in singulos. Modo id certamen non suscipiatur temerè, & non injusta causa Grot. §. *10. ibique* Hennig. quem etiam vide *L. 2. c. 1.* §. *13.* P. Voet. *de Duell. c. 11. vid. infr. L. 3. c. 13. qu. 38. seq.*

Qu. XVIII. *An etiam ad componendas lites privatorum, pugna duorum permissa?*

℟. Magna priscis Germanis ejus cura &

& religio fuit, & quasi ordinarium juris remedium probandi, quod sub certis formulis constitutis concessum, sacra quoque adhibita & preces pro victoria justi, pugnaque in judicio petita, & præsente populo publicè inita, eaque dicta *Judicium Dei*, das Faust-Recht, Kampff oder Kolben-Gerichte vid. *Spec. Svev.* Schwaben-Spiegel *L. 1. c. 167. §. 1. & c. 170--176.* Goldast. Reichs-Satzungen *P. 2. fol. 85. ad An. 1410.* Verum illa merito improbanda, quia tentationem Dei continent, & contra naturam & ordinem judiciorum suscepta, dum facinorosum extra pœnam criminis constituit, & innocentem punit, simulque contra omnem æquitatem efficit, ut idem periculum justus accusator subeat, quod subit, qui nocens est. Voet. *d. Tr. cap. 6.* Rachel. *de Duell. §. 29. seqq.* Lederer. *de jure belli privati Lib. 1. c. 5.*

Qu. XIX. *An Duella privatorum extrajudicialia probanda?*

℞. Hæc, quæ aliquibus *Cyclopica* duella vocantur, & à privatis honoris de-

fendendi gratia ſuſcipiuntur, planè à ratione & jure aliena ſunt, quia quis ſemet ipſum citra neceſſitatem in diſcrimen vitæ & æternæ ſalutis conjicit, & in alterius vitam cum rabie quadam ſævit, ſibique ob leviſſimam ſæpe injuriam ex illius ruina gloriam non ſine immani ſuperbia quærit, hacque ratione magiſtratus autoritatem ſpernit, dum ſibi ipſi jus dicere annititur. Franzk. *lib. 2. Reſol. qu. 23.* Voet. *de Duell. c. 32.* Rachel. *d. l.* §. *43. usque 61.* Lederer. *d. l. c. 6.*

Qu. XX. *Cujus eſt quærere conditiones ut bellum vitetur?*

℞. Partis utriusque, magis tamen petentis quam poſſidentis, hujus enim in pari cauſa melior eſt conditio naturaliter. Grot. §. *11. ibique* Felde.

Qu. XXI. *Si juſtam ſe cauſam habere ſciens documenta non habeat, quibus posſidens convincatur de poſſeſſionis injuſtitia?*

℞. Bellum erit illicitum, quia non habet jus cogendi alterum, ut de ſua poſſeſſione ſecedat. Grot. *d.* §. *11. ibique* Obrecht.

recht. Vid. Grot. *L. 2. c. 7. §. 2. in f. ibique* Tesm.

Qu. XXII. *Si jus ambiguum & neuter possideat aut uterque ex æquo?*

℟. Iniquus dicendus est is, qui oblatam rei controversæ divisionem repudiat. Grot. *§. 12. ibique* Tesm. & Obrecht.

Qu. XXIII. *An bellum ex utraque parte justum esse potest?*

℟. Justum aliquid dicitur aut *ex causa* aut *secundum effectus.* Quoad *causam* bellum, uti lis, non nisi quoad unam partem justum esse potest, quia per naturam non datur facultas moralis ad contraria, scilicet ut idem justè agatur, idemque justè prohibeatur. Interim fieri potest, ut neuter bellantium injustè agat, quando quidem penes unum sit jus penes alterum vero invincibilis ignorantia, nemo enim injustè agit, nisi qui & scit, se rem injustam agere. Quoad *effectus* belli, quales sunt, ut captivi & res captæ fiant capientium aliique, de quibus *Lib. 3.* utrinque justum esse potest.

 Grot.

Grot. §. 13. *ibique* Ziegl. & Osiand. Burger. *Cent.* 1. O. 7.

CAPVT XXIV.

Monita de non temerè etiam ex justis causis suscipiendo bello.

Qu. I. *Cum jure bellum suscipere possumus, an statim id oportet aut semper suscipi licet?*

MUlta adhuc sunt, quæ ad vitandum bellum movent. *Generalis* causa est, quod sæva res sit bellum, cumulumque calamitatum secum trahat. *In specie* à bello avocat cura nostri ac nostrorum, quæ sæpe periclitatur, quando incerta martis alea jactatur, viriumque nostrarum infirmitas. Grot. *II.* 2. 4. 7. 10. Struv. *de Victoria & clade* §. 68.

Qu. II. *Cum deliberatur bellum sit suscipiendum an quiescendum, quid observandum?*

℞. Observandæ hæ regulæ: I. *Si res, de qua agitur, æqualem efficaciam habere videatur ad bonum & ad malum, ita demum eligendum, si bonum aliquanto plus*

boni

boni habeat, quam malum mali. II. *Si videatur æquale esse bonum & malum, ita demum eam rem eligendam, si efficacia ad bonum quam ad malum major sit.* III. *Si videatur bonum & malum esse inæquale, bellum eligendum est, si efficacia ad bonum major sit, ad efficaciam ad malum collata, quam ipsum malum, aut bonum sit majus comparatione mali, quam efficacia ad malum comparata ad bonum.* Grot. *§.5. & 6. ibique* Hennig.

Qu. III. *Quando ergo bellum suscipiendum?*

℟. Nunquam nisi ex summa necessitate, ut si sint circumstantiæ, id omitti non posse nec debere. Deinde ut iste sit rerum status, ut à jure simul stent vires, atque ita major emolumenti spes ostendatur, quam damni metus. Grot. *§. 8. & 9.* Seckendorf. *Discurs. ad Lucan. O. 24. & 201.* Budd. *Sel. J. N. & G. Exerc. de Offic. Imper. circa conscrib. mil. §. 2.* vid. Ziegl. & Hennig. *ad §. 7. h. c. 1. Maccab. c. 3. v. 17. seqq.*

Qu. IV. Quid si rex ob causas leves bellum suscepit?

℟. Tenetur subditis ad reparationem damnorum quæ inde oriuntur. Nam etsi non in hostes, in suos tamen veram committit injuriam, qui talibus de causis tam gravi malo eos implicat. Grot. §. 7.

CAPUT XXV.

De Causis belli pro aliis suscipiendi.

Qu. I. Quæ sunt justæ causæ belli pro aliis suscipiendi?

JUstum cum sit simplex & uniforme, quæ causæ justæ sunt ipsi cujus res agitur, eædem justæ sunt iis, qui aliis opem ferunt. Grot. *II. 25. 1. ibique* Tesm. vid. Neumayer. *de Neutral. & Assistent. cap. 2.*

Qu. II. Pro quibus prima & maxime necessaria cura est?

℟. Pro subditis familiari vel civili imperio subjectis, sunt enim quasi pars rectoris. Non tamen semper singulorum, quamvis justa causa, cura habenda, sed

sed demum si id sine omnium aut plurium subditorum incommodo fieri possit. Rectoris enim officium magis circa totum, quam circa partes versatur. Grot. *d. §.1. & 2. ibique* Tesm. Puf. *VIII. 6. 14.*

Qu. III. *An civis innocens deseri potest, qui ab hoste deposcitur ad exitium?*

℞. Aff. si appareat civitatem viribus hostium multo esse imparem & *spem nullam superesse* expediendæ salutis civitatis, quia alias & ipsa civitas peribit, & innocens ille haut quaquam servabitur. Non obstat obligatio illa, quæ inter caput & membra ad se invicem tuendum est, nam hæc *ultra intentionem civitatis* extendenda non est, quæ non videtur fuisse, ut se totam obligaret pro vita unius, nam nunquam in civili ordine privatæ utilitati publica salus cedere solet. Ergo hoc relinquitur misero, ut quantum potest, sibi ipsi consulat *fuga aut ausu quamvis periculoso.* Ubi omnia frustranea, ferat calamitatem. Grot. §.3. *n.1. ibiq.* Hennig. Puf. *VIII. 2. 5.*

Qu. IV. *An & tradi in manus hostium, ut evitetur civitatis imminens excidium?*

℞. Si certum non alio modo evitari posse imminens periculum, posse vero innocente tradito, etiam ille, vi imperii in personas subditorum, petenti *ad cædem* tradi potest. Comparatione enim inter unum & totam civitatem innocentem instituta, ubi aut illi aut huic pereundum, melius est ut unus moriatur, quam ut tota civitas ruinam patiatur. Maximè cum ista tradendo hosti innocentem sciens fore interficiendum, faciat rem indifferentem bono fine, ut ipsa suum damnum evitet. Non tradit eo fine ut interficiatur, adeoque nec directo mortem ejus intendit. Grot. §. 3. *n.* 2. *seqq. ibique* Tesm. *lit. d. b. & q.* Obrecht. Kulpis. *b. c.* §. 1. Molina *de J. & J. Tr.* 3. *Disp.* 10. *n.* 4. Dissent. Horn. *de Civit. L.* 2. *c.* 2. §. 19. *n.* 3. & 4. Osiand. Ziegl. & Hennig. *ad Gr. d. l.* Puf. *d. l.*

Qu. V. *Quinam sunt proximi subditis ut defendi debeant?*

℞. So-

℞. Socii in quorum fœdere id est comprehensum, sive se dederint in aliorum tutelam ac fidem, sive mutua auxilia pacti sint. Ad injusta tamen bella pactiones tales haut porrigi possunt. Grot. §. 4. & *L. 2. c. 15. §. 13.*

Qu. VI. *Quid si nulla spes boni exitus?*

℞. Si certum sit socium meum hosti non parem fore, etiam adjunctis meis viribus, non teneor auxilia ferre, quia non initur societas ut me præcipitem. Si hoc moraliter certum non sit, socius se excusare non potest, quia sub prætextu quod non sit spes boni exitus alias omne fœdus deseri posset. Grot. *d.* §. *4. ibique* Hennig. & Tesm. *lit. e.* Puf. *VIII. 6. 14.*

Qu. VII. *Quinam socios sequuntur?*

℞. Amici, quibus quidem auxilium promissum non est, sed tamen amicitiæ quadam ratione debetur, modo facile & sine incommodo Reip. nostræ illis auxilia ferre possimus. Grot. §. 5. *ibique* Obrecht. Puf. *d.* §. *14.* Budd. *Sel. J. N. & G. Exerc. de Comparat. oblig. quæ ex Div bom. statu or.* §. *60.*

Qu. VIII.

Qu. VIII. *An homines quicunque defendi debent?*

℞. Aff. hominum enim inter se conjunctio sola sufficit ad opem ferendam, & fortitudo quæ defendit infirmos plena justitia est. Grot. §. 6. Becm. *Med. Pol. c.* 23. §. 8.

Qu. IX. *An ab injuria homo hominem ac populus populum defendere tenetur?*

℞. Aff. quando qui injuriâ afficitur nos in auxilium evocat, tunc enim si oppressus nisi morte invasoris conservari possit, etiam occidi potest aggressor, observatis iis quæ in necessaria defensione observanda sunt. Ut tamen, ubi manifestum est periculum, & vitam suam & res alienis præferre quis possit, quia prima cura est sui ipsius & rerum suarum. Grot. §. 7. *ibique* Hennig. Puf. *d. l.* Voet. *de duell. c.* 26.

Qu. X. *An justè arma capiuntur pro subditis alterius contra vim injustam domini?*

℞. Non alio casu, quam quo ipsi imma-

manem superiorum sævitiam armis recte à sese amoliri possunt. Alias quia cuilibet Principi jus speciale in subditos suos est concessum, quilibet etiam DEO rationem reddere tenetur de commisso sibi regimine non alius. Grot. §. 8. *ibique* Tesm. & van der Muelen. Puf. *d. l. in f.*

Qu. XI. *Videtur tamen extraneum Principem semper pro subditis alterius arma apprehendere posse, licet ipsi nequeant?*

℞. Videtur hoc Grotio, *d. l. n. 3.* quia impedimentum non resistendi in subditis personale est, quod in aliis cessat. vid. Alberic. Gentil. *de jure belli L. 1. c. 16.* Verum magis hoc impedimentum ex re est, seu ipso summo imperio, quod æquale habet Princeps cum alio. Ergo in istud alteri non læso nullum jus competit. Vitriar. *Instit. J. N. & G. h. c. qu. 9.* Neumair. *de Neutralitate c. 14.*

Qu. XII. *Quid de iis dicendum, qui sine causa respectu mercede conducti militant?*

℞. Nul-

R. Nullam vitæ genus est improbius eorum, ut quibus *ibi fas ubi plurima merces*, qui præter id, quod suam vendant necem etiam aliorum sæpe innocentium vendunt, tanto carnifice detestabiliores, quanto pejus est sine causa, quam ex causa occidere. Grot. §. 9. Burger. *Cent. 1. O. 8.* Zentgrav. *in Summa J. Div. S. 4. §. 18. seqq.*

CAPUT XXVI.

De Causis justis, ut bellum geratur ab his, qui sub alieno imperio sunt.

Qu. I. *Actum de his qui sunt sui juris, quinam sunt in conditione parendi positi?*

Filiifamilias, servi, subditi, etiam cives singuli, si cum civitatis corpore comparentur. Grot. *II. 26. 1. ibique* Tesm.

Qu. II. *Quid illis faciendum circa causas belli?*

R. Easdem sequi debent regulas, quas

quas illi qui suopte arbitrio bellum gerunt pro se aut aliis, si adhibeantur ad deliberationem, aut libera ipsis optio detur militandi aut quiescendi. Grot. §. *2.*

Qu. III. *Quid si edicatur illis ut militent?*

℞. Ubi constat ipsis causam belli *injustam* esse, omnino abstinere debent, Deo enim potius obediendum quam hominibus. Idem dicendum, si quis *persuasus* sit, quod imperatur injustum esse, nam huic tantisper ea res pro illicita est, quamdiu eam opinionem deponere non potest. Nec timendum est *periculum inobedientiæ*, ubi enim imperii defectus est, ibi nulla est inobedientia. Grot. §. *3. n. 1. & 5. &* §. *4. n. 5.* Budd. *Sel. J. N. & G. Exerc. de. Offic. Imper. circa conscrib. mil.* §. *9.*

Qu. IV. *At unde constabit de injustitia causæ, cum militis non sit inquirere in illam?*

℞. Militi *superiori* de ea constabit ex consiliis super causa belli institutis, nam talis ex officio tenetur inquirere & exami-

minare causam, ut damna & pericula, quæ imminent ex injustitia belli, impediat. *Inferiori* de ea constat ex publica denunciatione, quæ palam & expressa causa fieri solet. Unde apparebit an ipsi contrarium constet; si vero non constet, pro justitia belli sufficiens argumentum est, quod publica autoritate geratur. Burger. *Cent. 1. Obs. 11.*

Qu. V. *Quid si super causa belli dubitetur?*

℞. Eligenda est pars tutior, quæ est abstinere bello. Quod de milite intelligendum, qui *ultro* alieni Principis militiam suscipit. Si miles *subditus* est Principis, in re dubia parendum erit superiori. Est enim hic ab una parte incertum, an injustum sit bellum, ab altera parte certum superioris mandatum, ergo hoc certum eligendum, quod est, ut subditi præcipienti superiori obedientiam exhibeant, cum pro eo stet *præsumtio*, ipsum non esse tam imprudentem & impium, ut bellum injustum suscipiat. vid. *supr. h. l. c. 23. qu. 8.* Molina. *de J. & J. Tr. 2.*

Tr. 2. Disp. 113. Puf. *VIII. 1. 8.* Becm. *Doctr. moral. c. 3. §. 25. & c. 6. §. 11.* Aliter Grot. §. 4.

Qu. VI. *An Carnifex jussu magistratus interficere potest eum, quem certo scit innocentem?*

℞. Neg. quia directo innocentem occidit, unde nec excusatur, quod superiori obsecundatus sit. Aliter si nesciat innocentem esse, quia obsequitur superiori, cujus sententiam discutere non tenetur. Becm. *d. l.* Hennig. *d. l.* Hertius *Opusc. de Collis. Leg. S. 2. §. 18. in f.* Aliter Grot. §. *4. n. 9.*

Qu. VII. *Quid si scrupulus, qui subest subditorum animis, non sufficienter eximi possit?*

℞. Consilii erit, *tributa potius extraordinaria* ipsis imponere, quam operam militarem, præsertim ubi non defuturi sunt alii, qui militant. vid. Burger. *Cent. 1. O. 38.* Ubi tamen causa belli manifesta est, civesque de belli justitia non dubitant, Princeps vi summi imperii, quod habet in capita subditorum, invitos eti-

am *cogere* poteſt ad arma apprehendenda, quia alioquin nullus illius daretur effectus. Et niſi competeret imperantibus hæc poteſtas, in præſentiſſimo verſaretur diſcrimine omnium ſalus, quæ, à ſuis civibus deſerta & prodita, cujusque inſultantis hoſtis ferro & libidini pateret. Obrecht, Hennig & van der Muelen *ad Grot. h. c.* §. 5. Budd. *d. Exerc.* §. 11. Horn. *de Civit. L. 2. c. 2.* §. 16. *n.* 5. Diſſent. Grot. §. 5. *n.* 2.

Qu. VIII. *An in bello manifeſtè injuſto poteſt eſſe juſta aliqua ſubditorum defenſio?*

℞. Aff. ſi certo conſtet, hoſtem eo venire animo, ut hoſtilium ſubditorum vitæ, cum parcere poſſit, omnino tamen nolit, etiam ſi innocentes ſint. Ergo ſubditi tales ſe armis defendere poſſunt, ſi evertendæ Reipubl. gratia invadantur. Jus enim naturæ hoc caſu defenſionem concedit, quod Gentium jure illis ademptum non eſt Grot. §. 6. *ibique* Hennig.

Qu. IX. *An bellum tunc utrinque juſtum eſt?*

℞. Neg.

℟. Neg. non enim ibi de bello, sed de certa ac definita actione quæritur. Illa autem actio, quamvis de cætero jus ad bellum habentis, injusta est, & proinde justè repellitur. Grot. *d.* §. *6. n. 2.*

LIBER III.

CAPVT I.

Quantum in bello liceat, regulæ generales ex jure naturæ: ubi & de dolis & mendacio?

Qu. I. *Cum constet bellum geri ab eo, qui gerendi habet potestatem ex justa causa, quid porro expendendum?*

HOc, quid quantumque liceat in bello & quibus modis, quod aut nudè spectatur, aut ex promisso antecedente: nude ex naturæ primum, deinde ex gentium jure. Grot. *III. 1. i.*

Qu. II. *Quid ergo licet jure naturæ in hostes?*

 ℟. Ad

℟. Ad ea, quæ ad finem juris mei consequendi moraliter sunt necessaria, jus seu facultatem jure naturæ habere intelligor, modo nullam contineant turpitudinem. Sic ubi bellum est justum, omnis vis justa est, sine qua jus nostrum obtinere & ad pacem pervenire non possumus, ut rerum corruptio per incendium, aut aliter, intra justum tamen modum. Grot. *b. c. §. 2.* ubi plura exempla. Alberic. Gentil. *de jure belli L. 2. c. 23. L. 3. c. 6. & 7.* conf. Flavii Vegetii *Instit. de Re milit.* Æneæ *Poliorceticus s. de Toleranda obsidione.*

Qu. III. *An jus nostrum spectatur ex solo belli principio?*

℟. Neg. sed etiam ex causis *subnascentibus*, sicut in judiciis post L. C. jus sæpè novum parti paritur. Sic si ego alterum ex justa causa bello adorior, alii vero se aggregant hosti meo, nascitur mihi jus adversus eos non ex principio belli, quo adhuc mei amici erant, sed progressu præliorum. Si qui se bello injusto, quod tale esse sciunt aut scire debent,

bent, immiscent, obligant se ad sumtus & damna resarcienda. Quin victor, ne de facto rebellent & sumptibus restitutis de novo noceant, petere potest, ut aut illa loca ex quibus nocere potest victus cedat, aut aliam præstet cautionem arbitrio victoris, ex bono & æquo sufficientem, de non in posterum offendendo. Debet enim secundum *supervenientem* statum & circumstantias præmissas satisfacere victori, si justitiam armorum velit interrumpere. Grot. §. *3.* Textor, *Synops. J. Gent. c. 18. n. 6 -- 9.*

Qu. IV. *An in bello quædam sunt licita consequenter; quæ ex proposito non licerent?*

℞. Ad jus agendi multa consequi licet *indirectè* & extra agentis propositum, ad quæ *per se* jus non esset. Sed tamen nisi per summam necessitatem eo procedendum est, & ubi multo majus est bonum quo nostra actio tendit, quam malum id, quod metuitur, secundum prudentiæ regulas, de quibus Grotius *II. 24. 5.* quia jus istud summum est,

 &

& magis opera danda, ut parcatur innocentibus Grot. §. 4. *n. 1. ibique* Tesm. *lit. f.*

Qu. V. *Quibus exemplis hoc declarari potest?*

R. Sic ut nostrum consequamur, si tantundem accipi non potest, plus accipere nobis jus est, sub obligatione tamen restituendi pretium ejus, quod redundat. Sic navis piratis plena, aut domus latronibus, tormentis peti potest, etiamsi intra eandem navem aut domum sint pauci infantes, mulieres, aut alioqui innocentes, quibus indè creetur periculum. Ita quando arx aut civitas justè oppugnatur, in qua constat esse innocentes, fas est mittere in eam globos, aut ignem illi supponere, vel quodvis aliud facere ad eam capiendam. *Praeter intentionem* enim oppugnantium innocentes interficiuntur, qui hoc *infortunii loco* ducere debent quod â Principe suo bellum suscipiendo cum tota civitate in statum hostilitatis positi, ut licitè ab hoste offendi & violari possint Grot. §. 4. Burger. *Cent. 3. O. 21.* Textor. *Syn. Jur. Gent.*

Gent. c. 18. n. 10. & 11. vid. L. 2. cap. 1. qu. 10.

Qu. VI. *Quotuplices sunt res quibus hostis in bello juvari potest?*

R. Sunt quæ *in bello tantum usum habent* ut arma & cætera hujus generis, quæ hostem valdè contra me juvant, vulgo *Contrebande* Waaren. vid. *Tract. marit. int. Ludov. XIV. R. Gall. & Civit. Hanseat. d. Ao. 1655. art. 2.* sunt quæ *in bello nullum habent usum*, ut quæ voluptati inserviunt v. gr. vestes pretiosæ, res lusoriæ aliaque ludibria; sunt quæ *& in bello & extra bellum usum habent*, ut pecunia, commeatus, navis & quæ navibus adsunt. Grot. §. 5. Zentgrav. *de Jure Commerc. Tertii int. belligerant.*

Qu. VII. *Quid in eos licet, qui hostes non sunt, aut dici volunt, sed hostibus res aliquas subministrant?*

R. Qui res *primi generis* & ad bellum necessaria subministrat, in hostium habetur partibus. Non minus enim ille cum hoste facit, qui arma & instrumenta bellica, quam qui militem, copiasque auxiliares, etsi pretio accepto, animoque

lucrandi submittit. Res *secundi generis* querelam non habent, cum illis lascivire hostem & fortitudinem exuere certus sim. Rerum *tertii generis* commercium liberum est, *si pacis commercium* sit, seu lucri sui causa institutum, & cum utroque belligerantium ita æqualiter geratur, ut ne videatur alterum alteri prætulisse; non est liberum, si commercium *proprium belli* sit, utpote quando quis hosti meo advectione mercium adsisteret, eumque periculo eximeret, quo mihi noceretur. Nam talis mihi hostis loco est, inque eum jus belli obtinebit. Dn. Coccej. *de jure belli in amicos* §. 7. *seqq.* Neumeyer. *Tr. de Neutral. & Adsistent. cap. 9. n. 9.* Aliter Grot. §. 5.

Qu. VIII. *Quid si belligerantes ad pacatos eant merces empturi?*

℟. Hoc casu pacati illis omnes merces, nullis exceptis, venales præbere possunt, culpa manente apud alterum bellantium, quod negligens fuit in intercipiendis istis mercibus. Neumeyer. *d. l.*

d. l. n. 10. Gröning. *de Navigat. libera c. 2.*

Qu. IX. *Quis est modus gerendi bellum?*

℞. Vis & terror est *apertus* & maximè proprius bellorum, *latens & occultus* esse solet dolus & fraudes bellicæ, quas Stratagemata vocant Grot. §. *6. & 7.* Sext. Jul. Frontin. *Lib. 4. Stratagematum & ibi* Tennul. Winstrupius *Manipul. Stratagematum.*

Qu. X. *An dolo uti licet?*

℞. Cum justum suscipitur bellum, vi aperta pugnet quis, an ex insidiis, nihil ad justitiam refert. Ob ruptam enim ab hoste socialitatem cessant erga eum omnia socialitatis officia; indeque in ejus pernitiem juste adhibentur fictus sermo aliaque stratagemata. Grot. §. *6. n. 1. & 2.* §. *7. 8. n. 4.* Joh. Voet. *de Jure milit. c. 1. n. 28. seq.* Gentil. *de jure belli L. 2. c. 3.* Puf. *IV. 1. 19.* Budd. *Ph. Pr. P. 2. c. 5. S. 5. §. 3.*

Qu. XI. *Sed dolus estne in numero prohibitorum?*

 ℞. Neg.

℞. Neg. sed ejus natura est media, per se nec boni nec mali quicquam significans. *L. 1. §. 2. & 3. ff. de dolo malo.* Consistit vero alius *in actu negativo*, quando tegimus & occultamus aliquid, vocaturque *Dissimulatio*; alius *in actu positivo*, quando extrinseco signo aliter ac alter putat utimur, qui si in rebus consistit *Simulatio*, si in verbis *Mendacium* dici solet. Grot. §. 7. & 8. *ibique* van der Muelen.

Qu. XII. *An inter verba & res est aliqua differentia?*

℞. Aff. verba enim, nutus & notæ illæ, v. gr. hieroglyphicæ, quæ significant res ipsas, reperta sunt ad significandum cum *mutua obligatione*, ita ut iis aliter uti non liceat, quam eo quo convenit modo; res aliæ non item, sed illis *pro arbitrio* contra consuetudinem uti licet, etiamsi prævideamus futurum, ut alter inde falsam concipiat opinionem. Nisi sit apud certos homines, plerosque aut universos *quædam conventio*, ut certi aliquid significent, velut in bello tubarum sonitus,

tus, vexilli propositio, tunc enim illis rebus pro lubitu uti non licet. Grot. §. *8. n. 2. seqq.* Puf. *IV. 1. 2. & 12.*

Qu. XIII. *Anne verba naturâ significant?*

℞. Neg. alias enim eandem rem in diversis linguis non possent diversa vocabula notare, sed omnes linguæ ut & apices & figuræ literarum coincidere deberent, cujus rei tamen contrarium apparet. Significatio verborum *ex arbitrio & instituto hominum* est, & vocabula publici usus vim suam habent ex impositione publica, cui privati in ipsius fraudem contravenire nequeunt. Grot. §. *8. n. 1.* Puf. *IV. 1. 4. & 5.* Becm. *Diss. de Jure Idiom. c. 1.* Dissent. van der Muelen *ad d.* §. *8.*

Qu. XIV. *Quomodo ista impositio ab hominibus est facta?*

℞. Conventione expressa vel tacita, eaque vel generali vel speciali. *Generalis* intervenisse intelligitur inter homines eadem lingua utentes, de rebus vulgò notis & usitatis. *Specialis* est inter arti-

artifices & eruditos, de rebus populariter non cognitis, sed à communi usu remotis. Puf. *d. l. §. 5. & 6.*

Qu. XV. *Ex hac conventione quænam circa sermonem occurrit obligatio?*

℞. *Una* est, quâ isti, qui eadem lingua utuntur, certæ rei certum vocabulum, prout *usus cujusque linguæ fert*, applicare tenentur, ne, si quisque quo vellet vocabulo, quamlibet rem nuncuparet, alias usus linguæ sit inanis. *Altera* est, ut quis per sermonem animi sui sensa ita debeat pandere, ut hæc ex illo liquido cognoscere queat alter. Puf. *§. 7. & 10. & de Off. H. & C. L. 1. c. 10. §. 2. & 3.* Aliter Grot. *§. 11. n. 1.* Aliter Uffelm. *c. 3. §. 8. seq.*

Qu. XVI. *An hoc ipso obligamur, ut omnia animi nostri sensa quibusvis pandamus?*

℞. Neg. cum enim homo non loqui tantum sed & tacere possit, etiam quod animo volvit non semper cuivis aperire tenetur. Igitur *peculiaris obligatio* esse debet

debet, quæ necessitatem afferat tum ad loquendum, tum ad ita loquendum, ut alter sensa animi nostri cognoscat. Puf. §. 3.

Qu. XVII. *Unde ista obligatio oritur?*

℞. Oritur 1. *ex pacto peculiari*, quo expresse aliquis promittit, se velle animi sui sensa super aliquo negotio mihi aperire, quod incumbit Informatoribus, Historiographis conductis & aliis, qui tenentur ex pacto omnia indicare. 2. *ex communi præcepto Legis naturalis*, quæ jubet scientiam suam alteri communicare, ut hoc modo ipse juvetur, vel noxa ab eodem avertatur v. gr. si sciam alicui percussores immitti, tunc ex lege humanitatis ipsum monere debeo. 3. *ex præsentis negotii indole* quod cum alio susceptum est, uti sunt contractus & pacta varia, quæ aliter expediri non possunt, nisi super illis judicium nostrum pandamus, ne, quod vetat Lex naturalis, alioquin alter lædatur. Puf. *d.* §. 3. *&* de *J. N. & G. IV. 1. 7. & 10.*

Qu. XVIII.

Qu. XVIII. *Quid si sermocinantem non ita obligatum habeamus?*

℞. Dissimulare ille apud nos tegendo aut tacendo poterit, utut maxime illum interrogaverimus. Quin si jus alterius non lædatur, loquentis vero utilitas procurari possit, licebit ipsi talem formare sermonem, qui plane discrepat ab eo quod in animo cogitat. Puf. d. §. 7. & 10. Thomas. *J. D. II. 8. 42. seqq.* Uffelm. *de jure quo homo homini in serm. oblig. c. 5. th. 3.*

Qu. XIX. *In quo consistit veritas & mendacium?*

℞. *Veritas* consistit in convenientia signorum externorum & præcipue sermonis cum mente, ut is, cui eandem sciendi jus est, quamque ut ipsi aperiamus nobis obligatio perfecta aut imperfecta incumbit, commodum inde aliquod consequatur, vel ne damno præter meritum afficiatur. *Mendacium* consistit in dolosa discrepantia signorum a mente nostra, ut decipiatur alter ad quem signa

ista

ista diriguntur, cui tamen mentem nostram intelligendi jus competebat. Puf. *d. l.* §. *8.* Uffelm. *c. 4. th. 5.* & *c. 9. th. 13.*

Qu. XX. *An differt mendacium à Falsiloquio?*

℞. Aff. Omne enim *Mendacium* est turpe, quod de industria ad lædendum alterum adhibetur, quia sensa mentis ex sermone meo intelligendi jus habet; *Falsiloquium* quandoque indifferens est, cum verbis polysimis ad meum potius quam alterius arbitrium utar, aut aliis, ex quibus alter diversum ab animi mei sententia sensum percipit, cui significare animi mei sensa non tenebar. Grot. §. *10. n. 1.* & §. *11. n. 1.* Puf. §. *8.* & *9.* Thomas. *II. 8. 60.* Dissent. Ziegl. & Muelen. *dd.* §§.

Qu. XXI. *An propriè mendacium, quod jocosum vel officiosum dicitur?*

℞. Non, sed magis ad falsiloquium refertur, significatque orationem falsam quidem & ab animi sententia dissonam, sed cum intentione oblectandi proximum,

mum, vel eundem aut semetipsum juvandi citra noxam ejus ad quem oratio dirigitur. Utrumque proinde vitio & crimine caret. Uffelm. *d. Tr. c. 9. th. 4. 9. seqq.* Becm. *Doctr. Moral. c. 9. §. 11. cr. f. & Pol. Parall. c. 5. §. 5.*

Qu. XXII. *Quibus falso sermone non mentimur?*

℞. Omnibus illis qui jus perfectum aut imperfectum non habent, ut alter istis sensa animi convenienti signo indicet. Sic ficto sermone *infantibus* non mentimur, si eorundem utilitas magis promoveatur, quatenus nudæ veritatis non sunt capaces; nec *tertio ad quem sermo non dirigitur*, ex quo ille falsam haurit opinionem, si ex petulantia & maligna cura aliorum secretis immineat. Ita citra mendacium falso sermone utimur *ad bonum alterius*, quod aperto sermone procurare non valemus, puta si innocens protegendus, iratus placandus, mœstus demulcendus, fastidiosus ad medicamenta capienda movendus, aut si *arcana Reipubl. & consilia*, quæ interest

est aliorum notitiæ subtrahi, fictis rumoribus velut obvelanda, sic apud *hostem* falso sermone uti licet. Grot. §. *11--16. ibique* Comment. Puf. §. *15. seqq.* Thomas. *II. 8. 76. seqq.*

Qu. XXIII. *Quid si vox aliqua plures habeat significationes?*

℞. Ut quis excusetur à mendacio, sufficit si animi conceptus uni istarum significationi congruat, licet in aliam partem qui audit eam accipiat. Ne tamen *temerè* talis locutio usurpetur, sed sit ex causis accedentibus honestata, utpote ad aliquem erudiendum, aut ad vitandam interrogationem iniquam. Cæterum *qui tenetur* patefacere quid animo cogitat, nihil interest utrum simplici mendacio an per ambiguum sermonem decipiat. Grot. §. *10. ibique* Tesm. *lit. K.* & *T.* Puf. §. *13.*

Qu. XXIV. *An reo criminis delictum diffiteri aut fictis argumentis eludere licet?*

℞. Neg. quia judex habet jus veritatem sciendi, quod tantæ efficaciæ est, ut

in reo ponat obligationem ad veritatem dicendam. Diſtingv. tamen inter *delicti proprii denunciationem*, quam reus ſpontaneo motu facere non tenetur, & inter *negationem objecti criminis*, quæ licita non eſt, quando judex jam interrogavit de eo, quippe alias impeditur munus judicis & ſalus civitatis. Puf. §. *20.* Thomaſ. *II. 8. 85. ſeqq.* Uffelm. *c. 5.* §. *15.*

Qu. XXV. *Quid ſtatuendum de reſervationibus mentalibus?*

℟. Deteſtandæ illæ ſunt, per quas efficitur, ut extrinſecus affirmare quis videatur, quod in animo ſuo negare inſtituit, & viceverſa. Quo ipſo tamen omnis ſermonis uſus corrumpitur, ut nemo amplius certus eſſe poſſit, in quam partem alterius verba accipere debeat. Quanquam & abſurdum ſit illud inventum, nec quicquam rationis aut ſubtilitatis habeat, ſi interrogatus v. gr. an feceris, jurem, non feci, nempe *aliud quippiam* aut *alio die*; aut ſi petenti pecuniam, dicam non habeo, ſcilicet *quam tibi dem.* Aut promitto me tibi daturum,

rum, scil. *dicis causa*. Grot. §. 17. Ziegl. *ad* §. 10. *b. c.* Puf. §. 14. Uffelm. *d. l. c. 13.* vid. supr. *L. 2. c. 13. qu. 10.*

Qu. XXVI. *Ad quem sermonem pertinet quo hosti illudere licet?*

℟. Ad asserentem non ad promittentem, multo minus ad juratum, nam ex promissione jus speciale ac novum confertur ei cui fit promissio, idque inter hostes etiam locum habere sine ulla hostilitatis jam existentis exceptione certum est. Grot. §. 18. & 19. Voet. *de Jure milit. c. 1. n. 30.* Puf. §. 19.

Qu. XXVII. *Annon gloriosius est fraudium concessarum quædam genera non adhibere?*

℟. Aff. & fuerunt populi & homines nonnulli qui talia repudiarunt, non ob m justitiæ opinionem, sed ob eximiam quandam animi celsitudinem interdum & virium fiduciam. Quod Christianis eo magis observandum, quia ipsis non tantum simplicitas imperata est *Matth. X, 16.* sed & vaniloquentia interdicta *Matth.*

 XII, 36.

XII,36. Grot. §. *20. n. 1. & 2.* Coccej. *de Arm. illic.* §. 75. Dn. D. Schelgvig. *Diss. de Otiosi verbi rigido examine.*

Qu. XXVIII. *An licet nobis quenquam impellere ad id quod nobis liceat, non ipsi?*

℞. Neg. Semper enim ipse peccat, qui alteri dat peccandi causam. Sic non licet incitare hostis subditum ad prodendam patriam, occisionemque regis sui, quia hoc ipsi nefas est. Aliud si ultro operam suam offerat, tunc ea uti licet ad rem licitam, quia, cum tali casu absque impulso nostro peccet, nihil nobis imputabitur. Grot. §. *21. & 22.* Kulpis. *h. c.* §. *4. vid. infr. c. 4. qu. 15*, Dissent. van der Muelen *ad. d.* §. *21.*

Qu. XXIX. *An Transfuga recipi potest?*

℞. Aff. nam contra jus belli non est, ut eum admittamus, qui deserta hostium parte nostram eligit. Grot. §. *22.*

CAPUT

CAPVT II.

Quomodo jure gentium bona ſubditorum pro debito imperantium obligentur: ubi de repreſſaliis.

Qu. I. *An datur bellum quod dici poteſt imperfectum?*

Aff. quando pax planè non abrumpitur, ſed ob denegatam populo vel malitiosè protractam juſtitiam iſte populus tantum certos actus bellicos uſurpat, & vi ſibi ipſi jus reddit. Grot. *III.* *2.2.n.3. ibique* Velthem.

Qu. II. *Quot hujus ſunt ſpecies?*

℞. Referunt huc I. ἀνδρολημψίαν Græcis quondam maximè frequentatam, qua alterius civitatis homines propter homicidam non deditum nec punitum capiebant, & detinebant, donec alterutrum impetrarent. II. ἐνεχυρασμὸν quam recentiores *Repreſſalias* appellant, nonnulli *Pignorationem* ſed minus accuratè. Grot. *d. c. 2. n. 3. & 4.* Ziegl. *de Jur. Maj. L. 1. c. 34. §. 3.*

Qu. III. *An repressaliæ non idem quod pignorationes?*

℟. Non, repressaliæ enim fiunt *publica* autoritate, pignorationes possunt fieri *privata*; pignorationes locum habent inter *concives*, quoties alter alterum turbat in sua re, aut in quasi possessione juris sui, quòd ad se pertinere putat, repressaliæ inter homines *diversæ civitatis*. Quanquam in genere consideratæ repressaliæ possint comprehendi sub pignorationibus. Quomodo à *Retorsione* differant. vid. Mev. *P. 2. Dec. 59. n. 4.*

Qu. IV. *Quid sunt Repressaliæ?*

℟. Sunt: *Detentio rei vel hominis Innocentis illius provinciæ, in quâ justitia apprehendenti negata vel protracta est, pro juris & debiti sui liquidi & probati, ad quod aliter perveniri nequit, conservatione, à Superiore concessa & usu populorum approbata.* Peschvvitz. *Tr. de Repressal. c. 1. n. 18.*

Qu. V. *Ex quo jure repetendæ repressaliæ?*

℟. Ex Jure Gentium cogente ita neces-

neſſitate, ne ſemper ob denegatam juſtitiam ad bellum rem admodum odioſam decurratur, & quod alioqui magna daretur injuriis faciendis licentia, cum bona imperantium ſæpe non tam facile poſſint in manus venire quam privatorum, qui plures ſunt. Grot. §. *2. n. 1.* Mev. *Part. 8. Dec. 412.* Puf. *Hiſt. Rer. Brandenb. L. 3. §. 25.*

Qu. VI. *Anne æquitati naturali contraria?*

℞. Quamvis quidem jure naturæ nemo teneatur ex facto alieno, excepto herede, tamen re accuratè conſiderata hic nemo ex facto alieno ſed proprio adſtringitur. Factum enim magiſtratus factum proprium cujusvis civis eſt, non quidem *immediatè* ſed *mediatè*, cum unusquisque qui in aliquam ſocietatem civilem intrat, tanquam membrum ſe tacite obligat & corpore & bonis pro factis iſtius civitatis. Præterea ſinguli cives hic non amplius conſiderantur ut ſinguli, ſed ut *partes Reip.* quæ denegavit juſtitiam, & gravi injuria aliam Remp. affecit, hinc ut partes

Reip. non iniquè sentiunt vindictam, quam læsa Resp. infert. Imo cum civis repressaliatus per magistratum suum *indemnis* præstari debeat, revera non læditur. Gr. §. 2. *ibique* Tesm. *lit. d.* Ziegl. *d. Tr.* §. 31. *sqq.* Peschvvitz. *d. l. c.* 2. ubi *n.* 88. *sqq.* resp. ad contraria, de quibus etiam videatur Osiand. *h. c. th.* 2.

Qu. VII. *Ut repressaliis locus sit, quid requiritur?*

℞. Requiritur ut 1. in re non modica & causa liquida. 2. justitia sit denegata vel malitiosè protracta, & inde proveniens damnum 3. nullo alio remedio reparari possit. Grot. §. 4. & 5. Burger. *Cent.* 3. *O.* 95. Ziegl. *d. c.* 34. §. 9. Peschvvitz. *c.* 3. *n.* 10. & *c.* 4. *n.* 13. & 17.

Qu. VIII. *Quando justitia dicitur negata vel malitiosè protracta?*

℞. *Denegata* dicitur justitia, quando judex imploratus vel planè nolit audire supplicantem, vel aliquem injustè condemnet & nolit sententiam latam retractare. *Protracta* verò, quando lis ita tractata, ut

ut omnibus indè constet, magistratui isti non esse constitutum litem finire aut accusanti jus reddere. Grot. §. *5. n. 1.* Ziegl. *d. l.* §. *12.* Mev. *P. 6. D. 306.*

Qu. IX. *Cur demum locus repressaliis deficiente alio remedio?*

℞. Quia sunt *belli species* vel fomes futuri belli, ad quod non nisi deficiente alio remedio decurritur. Hinc si per *compensationem* nobis satisfieri possit, aut *à magistratu inferiore* saltem denegata justitia, & ideò ad superiorem adhuc provocare liceat, nondum fas est ad repressalias prosilire. Debet etiam, ut justè possint repressaliæ adhiberi, prius læsi magistratus ipse lædentis magistratum ad litem decidendam *sollicitare*, & rationes, quibus læsus innixus satisfactionem postulat, per legatos aut alio modo luculenter proponere. Ziegl. *d. l.* §. *6. 10. & 11.* Mev. *P. 8. D. 412.*

Qu. X. *Quis exercet repressalias?*

℞. Ille, qui in republ. *summum* tenet *imperium*, vel alius ejus autoritate. Sunt enim res magni momenti, & pleni belli

prælidia, quod à solo Principe decernitur. Peschwvitz. *c.* 5. & 6. Ziegl. *d. l.* §. 8.

Qu. XI. *Quo modo exercendæ?*

℞. Capi possunt alterius reipubl. *subditi*, si læsi subditi in civitate, contra quam utimur repressaliis, detineantur, *bona* verò, si circa bona subditorum nostrorum iniquitas sit commissa. Ut tamen nihil obstet, quo minus ipsi homines capiantur, si bona haberi nequeant. Cavendum vero, ne *quid licentius* in personas captas committatur, neve res *negligentius* quam par est custodiantur, & in executione non discedendum à *præscripto* concedentis, nec repressaliæ extendendæ ultra damnum passum. Grot. §. 5. *n.* 2. Ziegl. *d. Tr. c.* 34. §. 17. 23. *seqq.*

Qu. XII. *An omnes subditi huic juri sunt obnoxii?*

℞. Neg. sed tantum veri & perpetui, horumque saltem bona capi possunt. Non 1. *Temporarii* qui aut transeundi aut exiguæ moræ causa in civitate aliqua vivunt, quia inter hos & civitatem, quæ nos justitiam denegando læsit, non est ejus-

mo-

modi nexus, ut ab ipso qui restitutionem vel satisfactionem nobis debet, ea exacta esse existimari possit. 2. *Legati* eorumque bona, cum & in bello pleno inviolabiles sint. 3. *Clerici, Studiosi, Mulieres*, non quidem jure naturæ, sed populorum pactis Grot. §. 7. Ziegl. §. 20. & 21. Peschvvitz. c. 8.

Qu. XIII. *Quis est effectus repressaliarum?*

℞. *Personæ captæ* tamdiu possunt detineri, donec aut ipsi aut illorum amici satisfactionem à lædente aut ejus magistratu impetraverint. Ut tamen hic moderamen adhibeatur, & illæ pro sua conditione custodiantur. Peschvvitz. c. 7. Si impetrare nequeant, videntur instar obsidum habendi. Interficere autem illos *directè* non licet, cum finis repressaliarum hoc nec requirat nec permittat. *Bona capta* si tempus ad satisfaciendum exspiraverit, aut læso in solutum dari, aut justo pretio vendi possunt, ut inde solutio fiat, ita tamen ut deductis impensis

quod

quod supereſt priori domino reddatur. Grot. §. *6. & 7. n. 3.* Ziegl. §. *27. ſeq.*

Qu. XIV. *An repreſſaliato recurſus datur contra debitorem aut civitatem?*

℟. Non negandum difficilem eſſe recuperationem amiſſorum, ſi Princeps ipſe maneat in culpa negatæ juſtitiæ, *jure* tamen *naturali* ipſi recurſus compețit, qui ad reſtituenda damna audiendus, implorando officium judicis. Grot. §. *7. in f. ibique* Teſm. & Ziegl. *& d. Tr. c. 34.* §. *39 --- 42.*

CAPUT III.

De Bello juſto ſive ſolenni jure Gentium, ubi de Indictione.

Qu. I. *Quid requiritur ut bellum dicatur ſolenne?*

Ut geratur inter diverſos populos ſeu civitates, qui *ſummum* habent *imperium*, & ut ritè ſit *indictum*. Utrumque requiſitum neceſſarium eſt ad conſequendum peculiares quoſdam effectus, vo-

vocanturque populi, qui istud bellum gerunt eorumque rectores, *Hostes*, latronibus & prædonibus oppositi *L. 118. ff. de V.S.* Grot. *III. 3. 1.* Burger. *Cent. 2. O. 18.* van der Muelen. *ad 1. 3. §. 4. n. 1.*

Qu. II. *An civitas manet haberique potest pro justo hoste, quamvis admittat aliquid injustum etiam communiter?*

℞. Aff. quia manet juris fruendi causa sociata, & exteris jus reddit, si non per omnia secundum jus naturæ, quod multos apud populos ex parte quasi obliteratum est, certè secundum pacta cum ipsis inita aut secundum mores. Corpus morbidum corpus tamen est, & civitas, quanquam graviter ægrota, civitas est, quamdiu manent leges, manent judicia & quæ alia necessaria sunt, ut ibi jus exteri consequi possint, non minus quam privati inter se. Grot. *III. 3. 2. n. 1. & 2.*

Qu. III. *An contra cœtus latronum civitatis dignationem sortitur?*

℞. Neg. licet ipsi inter se speciem quandam justitiæ æquique exerceant, quia *cri-*

criminis causa sociantur, & hinc finis illorum malus est, qui solus cœtum piratarum â civili dissociat. Hinc licet milites atque imperatores se gerant, non tamen pro hostibus habendi sunt. Nisi mutatio fiat, non tantum in singulis, quando ex prædone Dux justus fit, sed & in cœtibus, ut qui prædones fuerant, aliud vitæ genus amplexi, civitas fiant. Grot. §. *2.* & *3. ibique* Ziegl. & Hennig.

Qu. IV. *An bellum solenne gerere possunt; qui pro parte summum habent imperium?*

℞. Aff. pro ea parte quam habent; item illi, qui non subditi, sed inæqualiter fœderati. Grot. §. *4. ibique* Osiand.

Qu. V. *Quid est belli indictio seu Denunciatio?*

℞. *Est actus, quo ejus, quem bello invadere decrevimus, amicitiæ & societati renuntiamus, ipsumque nihil sibi nisi hostile â nobis expectandum, certiorem reddimus.*

Qu. VI. *A quo jure arcessanda bellica Indictio?*

℞. Non

℞. Non à moribus Gentium, sed ab *ipso jure naturæ*, quod cum præcipit ut omnia prius ad lites amicè componendas tentemus, quam arma arripiamus, sine dubio etiam præcipit, ut alter, quem ut hostem invadere constituimus, hac de re certior reddatur, ut hoc quoque modo illi occasio bellum evitandi subministretur. Ziegl. *ad Gr. h. c.* §. *6.* Budd. *El. Ph. Pr. P. 2. c. 5. Sect. 4.* §. *9.* Alberic. Gentil. *de jure belli L. 2. c. 1.* Dissent. Grot. §. *6.*

Qu. VII. *Quotuplex est belli indictio?*

℞. Alia est *Conditionata*, quæ cum rerum repetitione est conjuncta, v. gr. ni reddatur res, ni satisfiat de injuriis, diciturque *Clarigatio*. Alia *Pura*, qua simpliciter alterius amicitiæ & societati renuntiamus, eumque hostem nostrum declaramus, quæ per eminentiam *Indictio* vocari solet. Grot. §. *7.* Dissent. Ziegl. *ad d.* §. *7.* cui resp. Obrecht. Kulpis. *h. c.* §. *2. lit. f.*

Qu. VIII. *An in omni bello requiritur Indictio?*

℞. Saltem in bello *offensivo* ea necessaria

saria est, ut post eam constare possit, an alter sine vi satisfacere velit, nec ne: Ziegl. §. 11. In *defensivo* supervacanea videtur, id enim â naturâ censetur indictum, quæ vim vi repellere jubet. Proinde etiam superfluum, ut bellum *ab utraque parte* indicetur. Sed nec in *repressaliis* indictione opus erit, quia hæ demum cessante omni satisfactione exercentur. Grot. §. *6. n. 1. &* §. *7. n. 3.* Budd. *d. l.* §. *11.* Gentil. *d. l. c. 2.* Zonch. *de Judic. int. gent. P. 2. Sect. 10. qu. 1.*

Qu. IX. *Quâ forma indictio peragenda?*

℞. Pendet â cujusvis gentis *arbitrio*, qua ratione & forma bellum indicere velit, an per legatos, an per literas, an ipsi imperanti an subditis ejus, modo ita fiat indictio, ut imperanti, quo cum nobis res est, innotescat consilium & propositum nostrum. Grot. §. *8.* Textor. *in Synopsi J. G. cap. 17. n. 49. seqq.* Alex. ab Alex. *Lib. 5. Genial. dier. c. 3. inf.*

Qu. X. *Bello imperanti indicto, cui censetur indictum?*

℞. Omni-

℞. Omnibus etiam ejus *subditis* censetur indictum, eo quod Princeps & subditi unam eandemque personam moralem constituant. *Sociis* quoque indictum est, quia sunt accessio imperantis, & hoc est, quod ajunt: *diffidato Principe diffidatos ejus adhærentes.* Ast eo bello absoluto, si ob auxilia suppeditata populus aut rex bello impetendi sunt, *nova opus erit indictione*, quia bellum novum est nec pro accessione prioris haberi potest. Grot. §. *9.* & *10. ibique* van der Muelen. Budd. *d. l.* §. *13.*

Qu. XI. *An statim post indictionem bellum geri potest?*

℞. Neg. sed demum si denuo certiores facti fuerimus, alterum *vim armatam expectare malle*, quam amicè rem componere, ad quod tantum temporis indulgendum, quantum sufficit ad deliberandum & respondendum. Grot. §. *13. ibique* Tesm. & Ziegl. *d. l. n. 52.* Zonch. *c. l. qu. 2.*

Qu. XII. *An opus denuntiatione, si jus legationis violatum sit?*

℟. Aff. & possunt ad hoc ministerium periculosum adhiberi *homines*, qui jam alias *mortem* sunt promeriti. Imò non requiritur, ut denunciatio necessario fiat per legatos, sed & per *literas* & alios modos, quibus tuto fieri potest. Grot. §. 14. *ibique* Tesm.

CAPUT IV.

De Jure interficiendi hostes in bello solenni, & alia vi in corpus.

CAPUT X.

Monita de his quæ fiunt bello injusto.

CAPUT XI.

Temperamentum circa jus interficiendi in bello justo.

Qu. I. *Id quod licere dicitur quotuplici in sensu accipitur?*

Licere dicitur interdum id, quod *rectum & ex omni parte pium* est, quòdque adeo sine omni peccato & reprehensione suscipi potest, etiamsi fortè aliud

aliud quid fieri possit laudabilius. Sic mercaturam exercere mihi licet, si tamen amore vitæ sanctioris alia tractare velim, non pecco. Interdum licere aliquid dicitur, non quod salva pietate & officiorum regulis fieri potest, sed quod *apud homines pœnæ non subjacet*. Ita regibus dicuntur omnia licere, quia exempti sunt à pœnis humanis. *L.144.ff.de R.J.* Grot. *III.4.2.ibique* Tesm. Puf. *I.7.2*. Burger. *Cent.1.O.29*.

Qu. II. *Cui rei inservit duplex vocis hujus acceptio?*

℞. Ex ista nonnulli duplex jus constituunt, *Internum* quod ex regulis pietatis & conscientiæ quid fieri præcipit, & *Externum*, quod impunitatem in foro exteriori & hominum judicio pollicetur. Grot. *III. 4.5. III.6.7. III.10.3. III.11.2.* Zentgrav. *in Summa Jur. Div. Sect.5. art.2.* §.*11*. Verum quia una species per alteram destruitur, & quod omninò improbum contra id, quod jure naturæ justum est, Juris nomine induitur, hæc distinctio non probanda. van der Muelen *ad Grot.*

L.3.c.11.§.9.& c.4.§.15. Tesm. *d.c.4.§.5.lit.g.* Toleranda tamen eatenus, quatenus per jus externum id internum, quod *in societate hominum* ob defectum judiciorum, & metum majoris mali ex pœna orituri, *servari non potest*, temperatur, & quod ex interno *improbum*, per externum non *improbatum* aut *impune* relinquitur. Mev. *Nucl. Jur. Nat. & Gent. Inspect. 6.§.31.*

Qu. III. *Quantum ista in bello impunitas valet?*

℞. In bello solenni hosti hostem lædere licet in persona & rebus, non ei tantum qui ex justa causa bellum gerit, quique intra modum naturaliter concessum lædit, sed *ex utraque parte & indistincte*, ita ut eam ob causam nec puniri possit in alieno territorio deprehensus tanquam homicida aut fur, nec bellum ipsi ab alio talis facti nomine inferri. Grot. *cap. 4.§.3.* Heding. *d. l.§.6. ibique* van der Muelen.

Qu. IV. *Cur hoc gentibus placuit?*

℞. Quia inter duos populos de jure

belli pronunciare velle *periculosum* fuerat aliis populis, qui hac ratione *bello alieno implicarentur*, & quia in bello justo seu solenni vix satis *cognosci* potest ex indiciis externis, quis *justus sit* se tuendi & sua recuperandi modus, ita ut omnino præstiterit *hæc religioni* bellantium exigenda relinquere, quam cum suo periculo eadem damnare. Grot. *cap. 4. §. 4. ibique* Tesm. Puf. *VIII. 6. 16.*

Qu. V. *At an citra modum finemque cædibus grassari licet?*

℞. Furori martis tribuitur, cum cædantur qualescunque sine discrimine. Grot. *c. 4. §. 9. seqq. ibique* Tesm. Alias, ut omnis facultas agendi, ita & licentia interficiendi hostes, ex fine belli, qui est juris sui defensio, vel injuriæ illatæ reparatio limites suos accipit, quem si sine cæde obtinere possumus, ab illa abstinendum est, Grot. *III. 18. 4.* Budd. *El. Ph. Pr. P. 2. c. 5. Sect. 5. §. 2. & 4. vid. supr. h. l. c. 1. qu. 2. & 3. & cap. seq. qu. 7.*

Qu. VI. *Quinam ergo in bello non justè interficiuntur?*

 ℞. Omnes

℞. Omnes illi à quibus vita & res nostræ sint tutæ, sunt enim etiam contra hostes quædam servanda officia. Non igitur ex justitia belli interficiuntur. 1. Peregrini, qui intra fines hostiles reperiuntur exorto bello, aut qui commisso cognitoque bello in hosticum veniunt, 2. Infantes, 3. Fœminæ, 4. Senes, 5. Sacerdotes aut qui literis operam dant, 6. Captivi, 7. Supplices qui arma posuerunt, 8. Dediti sine conditione, 9. Agricolæ, Mercatores, Opifices ac Artifices. Grot. *III. 11. 1. 3. & 9. seqq. ibique* van der Muelen. Kulpis. *h. c. §. 5. & 6.*

Qu. VII. *Annon captivi & supplices per modum talionis aut pœnæ interfici possunt?*

℞. Neg. quia talio saltem est exercenda in *eandem personam*, quæ *deliquit*, in bello vero ea plerumque redundat in malum eorum, quorum in eo, quod accusantur, *nulla est culpa*. Pœna vero non habet locum, nisi inter imperantes & subditos. Grot. *h. l. cap. 4. §. 13. & c. 11. §. 16.*

Qu. VIII.

Qu. VIII. *An ob pertinax studium in partes aut strenuam defensionem quis postea occidi potest, quando captus est?*

℞. Neg. cum laudandus potius sit ob fidem & fortitudinem, maximè cum partes illæ *assignatæ* fuerint à natura, ut inter imperantes aut parentes, aut *honesta ratione* electæ, ut qui aliis auxilium ferunt in justo bello. Certè crimen potius est, si quis præsidio decesserit. Grotius *c. 4. §. 13. n. 2. ibique* Tesm. Zonch. *de Judic. int. Gent. P. 2. Sect. 10. qu. 9.*

Qu. IX. *Nullone casu recensitæ personæ in bello justè occidi possunt?*

℞. Possunt 1. si singulare aliquod momentum ad bellum contra nos conferant, quorsum etiam pertinet obstinatio animi defendendi locum tunc, quando iste nec naturâ nec arte munitus, & tamen contra omnem rationem defenditur. Grot. *c. 11. §. 9. n. 3.* Tesm. & van der Muelen *ad cap. 11. §. 16. n. 4.* Obrecht. *ad c. 11. §. 19.* 2. Si non ex intentione sed con-

sequenter occidantur, ut si aliter castrum occupari non possit, quam si tormentis locus concutiatur, in quo innocentes inclusi reperiuntur. Alberic. Gentil. *de jure belli L. 2. c. 21.* Osiand. *c. 4. th. 6.* van der Muele ad *c. 4. §. 9. supr. L. 3. c. 1. qu. 4. & 5.*

Qu. X. *An hostium subditi interfici possunt ubique locorum?*

℞. Qui tales sunt ex causa permanente, interfici possunt in solo proprio, in solo hostili, solo nullius, in mari, & *ubi reperiuntur*. In territorio autem tertii, quo cum nihil nobis est negotii, eos interficere non licet, propter *jus ejus* qui ibi imperium habet, quod hoc modo violaretur. Grot. *c. 4. §. 8. n. 2. ibique* van der Muelen & Obrecht. Zonch. *d. l. P. 2. Sect. 9. qu. 7.*

Qu. XI. *Quæ arma sunt licita contra hostem?*

℞. Omnia illa, quæ ad jus ereptum *recuperandum*, vel impetitum *conservandum* necessaria sunt; non illa quæ ad *nocendum ulciscendumque* excogitan-

tantur, aut exasperandis sauciorum doloribus comparata sunt. Hinc ad occupanda munimenta hostesque eo facilius superandos *tormenta bellica* licitè adhibentur. Dn. Groddeck, *de eo quod just. est circa Torment. bell. c. 2. §. 2. seqq.* Non justè *scorta* quæ lue aut peste infecta emittuntur in castra hostium, ut harum mulierum contagione pereant, nec globis plumbeis æs vel ferrum ita miscetur, ut aculei pariendo dolori, & ne sit *eximendi* convalescendique facultas, emineant. Prorsus nefandum armorum genus est, quod petitur ab *arte magica.* Coccej. *de Arm. illic. §. 17. 20. 57. 68.* Rœser. *de veneno adv. host. usurpato c. 1. §. 7. seqq.*

Qu. XII. *An veneno hostem interficere licet?*

℞. Non licet jure naturæ, quia in bellis probari nequit modus, qui *nullam* relinquit *defensionis copiam*, & omnem cavendi facultatem ita excludit, ut dignosci nullo modo queat, quis altero potior sit. Cumque eum in finem armis controversia committatur, ut de *causæ justi-*

justitia ex eventu possit constare, si hostis veneno interimeretur, pugna & ejus eventus interciperetur, & mala arte judicium armorum corrumperetur. Osiand. *ad. Gr. c. 4. th. 15. seq.* Coccej. *d. l. n. 34. seqq.* Rœser. *d. l. cap. 2. & 3.* Dissent. Grot. *cap. 4. §. 16.*

Qu. XIII. *An & spiculis, telis aut venenatis fontibus uti nefas est?*

℞. Aff. sunt enim hæc genera armorum eo detestabiliora, quod priora mortem geminent, & ex posterioribus in plures ejus periculum indigentia aquarum & fontium publica derivetur. Coccej. *d. l. §. 42.* Aliter Grot. *§. 16.*

Qu. XIV. *Sed an sine veneno aquas corrumpere licet, ut bibi nequeant?*

℞. Aff. hoc enim idem est, ac si flumen avertatur, aut fontis venæ intercipiantur. Æquè verò justum est, si siti, quam si fame hostem vincam. Grot. *c. 4. §. 17.* vid. Zentgrav. *in Summa Jur. Div. Sect. 2. Art. 1. subsect. 2. §. 22. p. 328.*

Qu. XV.

Qu. XV. *An immisso percussore hostem interficere liceat?*

℞. Simpliciter id affirmat Pufend. *VIII. 6. 18.* negat Becman. *Pol. Paral. c. 22. §. ult.* Verius est distinguere cum Grotio *c. 4. §. 18.* inter eos, qui fidem expressam vel tacitam violant ut sunt subditi, vasalli, milites &c. & qui eam non violant. *Illos* percussores immittere prorsus illicitum videtur, quia tali facto perfidia inest, & ne nimium intendantur pericula eorum, qui maximè eminent; de *his* secus sentiendum, quia hostem ubivis occidere licet, nec refert pauci sive plures hosti noceant. Et quia percussores virtute utuntur, inter eos & venena præparantes differentia intercedit. Budd. *Phil. Pr. P. 2. c. 5. S. 5. 8. & Select. J. N. & Gent. Exerc. ult. §. 52. seq.* Burger. *Cent. 1. O. 64.* Aliter Coccej. *d. l. §. 48.*

Qu. XVI. *Attamen tales percussores deprehensi exquisitis suppliciis affici solent?*

℞. Non ideo venit, quod in jus gentium deliquerint, sed quia eodem jure

in

in hostem quidvis licet: gravius autem aut levius malum statuit quisque pro sua utilitate. Grot. *c. 4.* §. *18. n. 3.*

Qu. XVII. *An licet mittere Exploratores?*

℞. Aff. nam inter primas ducis *virtutes* refertur explorare hostium consilia. Ipsi tamen exploratores deprehensi miserè tractari solent, ex eadem ratione. Grot. *d.* §. *18. n. 3. ibique* Tesm.

Qu. XVIII. *An stupra aut adulteria in bello sunt permissa?*

℞. Neg. quia hostis noster tantum jus habet ad ea media, quæ ad bellum gerendum *& finem* in eo obtinendum sunt necessaria, per stupra vero & adulteria juris sui executio obtineri non potest, sed sunt actus *effrenatæ libidinis*, qui non bello minus quam pace puniendi sunt. Grot. *c. 4.* §. *19. ibique* Felde. Zonch. *d. l. P. 2. Sect. 10. qu. 17.*

Qu. XIX. *Quid habendum de illis dimicationibus, quæ fiunt ad ostentationem virium, non ad jus consequendum aut finiendum bellum?*

℞. Pu-

℞. Pugnant cum officio nominis christiani & ipsa humanitate, & rectores inutiliter fusi sanguinis rationem ei sunt redditùri, cujus vice gladium gerunt. Grot. *cap. 11. §. 19.* Voet. *de Duell. c. 11. pr. c. 13. & 14.*

Qu. XX. *Quales sunt actus, qui nascuntur è bello solenni modo suscepti, cujus causa est injusta?*

℞. Injusti sunt, ita ut qui *scienter* tales actus operantur, habendi sint in eorum numero, qui ad regnum cœleste sine pœnitentia pervenire non possunt. Grot. *c. 10. §. 3.*

Qu. XXI. *Quid requirit vera pœnitentia?*

℞. Non tantum ut *peccatum agnoscatur* & venia rogetur, sed & ut is qui damnum dedit sive interficiendo, sive res corrumpendo, sive prædas agendo id ipsum *restituat.* Nisi à creditore facta remissio, vel sit compensatio debiti liquidi, vel extrema paupertas id impediat. Grot. *c. 10. §. 3.* Osiand. *d. c. th. 3.* Brunnem. *in*

in *Prel. ad. reg. Jur. Canon. reg. 4. lib. 6. X. & ibi appendix.*

Qu. XXII. *Quinam ad hanc restitutionem tenentur?*

℟. Tenentur primum *belli autores* sive potestatis jure sive consilio damnum dederint, etiamsi insolitum sit, dummodo bellum sequatur. Deinde *Duces* de his quæ suo ductu facta sunt, ac *gregarii milites* in solidum omnes, qui ad actum aliquem communem & individuum, puta urbis incendium, concurrerunt, in actibus dividuis pro damno quisque cujus ipse causa unica aut certe inter causas fuit. Tenentur etiam, qui aliis *operam suam navant* & in culpa sunt. Grot. *cap. 10. §. 4. & 5. ibique* Obrecht.

Qu. XXIII. *At videntur bellantes res suas capientibus donasse?*

℟. Debilis est hæc præsumtio contra fortissimam rationem nos, nostraque tuendi. *Suum* enim *nemo jactare* præsumitur, & bellum per se longè abest à contractuum natura. Grot. *c. 10. §. 5. n. 1.*

Qu. XXIV.

Qu. XXIV. *Quid si sint qui rem injusto bello ab alio captam, penes se habeant?*

℞. Et hi tenentur eam vero domino restituere, salvo tamen *jure detrahendi*, si quid operæ aut sumtus impenderunt, quantum domino valebat desperatæ possessionis recuperatio. Quod si bona fide consumserint aut alienaverint, non, nisi quatenus locupletiores sunt facti, tenentur. Grot. *c.10.* §.*6.* *vid. supr. Lib.2.c.10. qu.16,* & *17.*

CAPUT V.

De

Rebus vastandis eripiendisque.

CAPUT XII.

Temperamentum circa vastationem & similia.

Qu. I. *An res hostium vastare & eripere licet?*

SI contra naturam non est *vitam hostium* corpusque lædere, multò minus contra illam erit *res* illorum *vastare*

re

ne & spoliare, qualescunque eæ fuerint munitiones hostium, portus, urbes, naves, agros, fructus & si quæ similia. Grot. *III.* 5. 1. Hedinger. *Sicilim. Philos. Lib.* 3. *c.* 5. §. 1.

Qu. II. *An excipiendæ res sacræ?*

℞. Neg. quia tales res saltem à fine cui destinatæ sunt, nempe quòd sacris inserviant, sacræ dicuntur, & juris privati esse desinunt, non autem *in totum usibus humanis eximuntur*, sed in commercio Principis manent, hinc ut res cæteræ in potestatem victoris redigi possunt. Grot. *cap.* 5. §. 2. *n.* 1. Budd. *Sel. J.N. & G. Exerc. de jure belli circa res sacras* §. 12. *seqq.* Horn. *de Civit. L.* 2. *c.* 3. §. 7. Schurtzfleisch. *Op. Hist. Pol. Tr.* 74. *de jure belli circ. Fana & Sepult.* §. 12.

Qu. III. *At Deo ob consecrationem in res sacras peculiare jus quæsitum, E. sunt in nullius patrimonio?*

℞. Deo, qui jus summum habet in omnes res creatas, ex consecratione hominum *non majus* jus accedere potest in res

res sacras, quam antea jam habuit. Ista consecratio solum secernit rem à profano usu, quamdiu inservit fini cui destinata, non eximit eandem à summæ potestatis dominio, *certo indicio* quod ipse Populus vel Princeps ejus nomine mutata voluntate propter utilitatem & necessitatem publicam ex re sacra profanam possit efficere & in usum secularem redigere, Grot. *d.* §. *2. ibique* van der Muelen. Kulpis. *b. c.* §. *1. lit. b.* Dissent. Osiand. *b. c. th.* 2. *O.* 1. cui resp. Budd. *d. l.* §. *15.*

Qu. IV. *Quid si ex errore quis credat in simulacro numen aliquod inesse?*

℟. Id violari aut corrumpi nefas est ab iis, qui in *tali persuasione* conveniunt, quia actus iste cum contemptu divini Numinis conjunctus utut opinionis errore, nam & qui contra conscientiam erroneam agit, peccat. Aliud est si hostes non idem sentiant, nam ab his rectè tamen simulacra seu idola abolentur & in verum cultum aut alios pios usus convertuntur. Grot. *d.* §. *2. n. 4.* Ziegl. *de*

J.M.l.1.c.41.§.45. Selden. *de J. N. & G. L.2.c.2.* Budd. *d.l.§.14.*

Qu. V. *An excipiendæ res religiosæ?*

℞. Neg. nam & hæ non mortuorum ſunt, ſed viventium ſive populi alicujus ſive familiæ, quæ ab hoſtibus captæ religioſæ eſſe deſinunt. Modo mortuorum *corpora non malè tractentur*, quia hoc eſt contra jus hominum ſepeliendorum. Grot. *c.5.§.3. ſupr. l.2.c.19.qu.1. & 7.*

Qu. VI. *Perindene, res hoſtium eripiantur vi an dolo?*

℞. Aff. ſi dolus ſit qui perfidia caret Grot. *cap. 5. §. 4. ibique* Oſiand. *th. 4. Q.2.*

Qu. VII. *An ultra modum res hoſtium vaſtare & corrumpere licet?*

℞. A *fine belli* etiam rerum vaſtatio limites ſuos accipit. Quæ ad *illum obtinendum* pacemque accelerandam hoſtem adigit, ferenda; quæ vero fit *ſine reſpectu ad illum*, aut eo jam obtento, ſatisfactione læſionis & ſecuritate a futuris periculis

his præstita, jure naturæ illicita est. Stultum enim & impium est nullo suo bono nocere alteri. Grot. *cap. 12. §. 1. n. 1. & 2. & cap. 18. §. 4.* Felde *ad d. §. 1.* Budd. *El. Ph. Pr. P. 2. c. 5. S. 5. §. 10.* Ziegl. *d. Tr. L. 1. c. 33. §. 72. & ad Grot. l. 3. c. 4. §. 4.* Puf. *VIII. 6. 7.* Zentgrav. *de Orig. J. Gent. Art. 1. §. 61. seq.*

Qu. VIII. *At contra eum qui debet non licet sibi jus dicere & bona ejus propria autoritate apprehendere?*

℟. Id ad statum ubi *judicia vigent* pertinet, & ad non hostes; in bello autem proceditur secundum licentiam à natura concessam, alias omnia bella sine effectu gererentur. Tesm. *ad. Gr. h. l. c. 11. §. 1. lit. a.* Kulpis. *Ex. 12. th. 2. lit. e.* Dissent. Ziegl. *ad Gr. c. 12. §. 1.*

Qu. IX. *An in bello justo civitatem licet tradere militibus in prædam?*

℟. Licet, si judicetur *necessarium* id esse ad expediendum bellum, incendendosque animos militum & deterrendos

hostes. Duces tamen, quantum commodè possunt, prohibere tenentur omnia *sæva & injusta*. Burger. *Cent. 2. Observ. milit. 70.* Dissent. Tesm. *Disp. de Pilagio p.m. 110. seqq.*

Qu. X. *A quarum itaque rerum vastatione abstinendum?*

℞. Ab omnium illarum, quæ non fit ex necessitate aut utilitate, sed *vindictæ delectatione* aut ad exulcerandum hostis animum. vid. Ziegl. Labyr. der Zeit *hist. 631.* Fritsch. *de Peccat. milit. Concl. 41. §. 2.* Abstinendum itaque à depopulatione rei nobis *fructuosæ*, quæ hostibus in fructu esse non potest. Quo spectat lex divina de asservandis arboribus frugiferis *Deut. XX, 19.* quæ ad animantia ruris operi inservientia extenditur, & ad rem quamvis quæ sine causa peritura sit, ut si ædificia comburantur. Quod post *obtentam* plenam *victoriam* tanto magis locum habet. Grot. *III. 12. 2. & §. 4. n. 4. ibique* van der Muelen. Ziegl. *ad. d. §. 2.* Dn. Coccej. *Diss. de jure victoriæ diverso a jure belli §. 17. & 21.*

Qu. XI.

Qu. XI. *A Deo tamen quædam urbes damnata excidio, & contra illam legem generalem arbores Moabitarum exscindi jussa?*

℞. Hoc non factum odio hostili, sed in justam *detestationem facinorum*, quæ aut publicè erant cognita, aut Deo judice tanti æstimata. Grot. *c. 12.* §. 2. *n. 4.* Dissent. *ibi* Ziegl.

Qu. XII. *Quando porro à populatione rerum abstinendum?*

℞. Si *magna spes sit celeris victoria*, cujus præmium & ager & fructus futuri sint, quo casu, qui id facit, suas non hostium res destruere videtur. Si hostis habere possit *aliundè quò se sustentet*, puta si mare, flumina aut fines alii pateant; tali statu etiam agricultura in ipso collimitio tuta manere debet, sub onere tributi vel fructuum hosti dandorum. Grot. *c. 12.* §. *3.* & *4. ibique* Gronov.

Qu. XIII. *Quid si res sit ejus natura, ut nullum nobis afferat periculum?*

℞. Et tali rei etiam *manente bello* par-

cendum est, cujus generis sunt templa porticus, statuæ ac ornamenta alia. Possunt quidem hæ res ut publicæ violari ac occupari, at si ad bellum *ducendum vel finiendum* nihil momenti habeant, conservandæ, & res divinas conservari svadet illarum rerum reverentia, inter eos maximè, qui eundem Deum ex eadem lege colunt, etiamsi forte sententiis quibusdam aut ritibus dissideant. Et cum, nisi contempta humanitate, res religiosæ violari non possint, idem de illis dicendum est Grot. *c. 12. & 6. & 7.* Burger. *Cent. 1. O. 89. & 91.* Schurtzfleisch. *d. l. §. 15.*

Qu. XIV. *An ab occupata urbe hostili cives cogi possunt, ut redimant campanas rei sacræ destinatas?*

℞. Ejus rei consuetudo recepta est inter rei tormentariæ præfectos, quod suæ per occupationem urbis sint factæ, quæ tamen, quia templa & quæ iis accedunt conservari suadet rerum *divinarum reverentia*, non satis probanda videtur. Ziegl. *c. 12. §. 6. & de J. M. L. 1. c. 41. §. 45.*

Qu. XV.

Qu. XV. *Quid si argumentis istis justitiæ & æquitatis non commoveatur hostis ut abstineat à populatione?*

℞. Aliis ab utili, quod belligerantibus accedit, petitis se commoveri patietur, quale est, quod tali moderatione magnum hosti telum eripiat *desperationem:* quod speciem præferat magnæ *de victoria fiduciæ;* quod *clementia* per se apta frangendis & *conciliandis animis*, consiliis autem contrariis contrarii quoque eventus respondeant. Inprimis autem summarum potestatum & Ducum, qui *Christianos* se & à Deo & ab hominibus haberi volunt *officium* est, violentis urbium direptionibus & si quod simile est intercedere, ut quæ abire non possint sine gravissimo multorum innocentium malo, & sæpe ad belli summam parum proficiant, ita ut *bonitas christiana* ferè semper, ipsa quoque *justitia plerumque* ab ipsis abhorreat Grot. *c.* 12. §. 8. *n.* 1. 2. & 4. Joh. Voet. *de Jure milit. cap.* 3. *n.* 31. & 32.

CAPVT VI.

De

Jure acquirendi bello capta.

CAPVT XIII.

Temperamentum circa res captas.

Qu. I. *Quid circa effectum acquisitionis bellicæ attendendum?*

SEparandum jus naturæ à moribus gentium. Nulla acquisitio bellica justa est, quæ *juri naturæ repugnat*, quamvis in bello *solenni* ex gentium moribus pro licita reputetur. van der Muelen *ad Gr. h. c.* §. *1.*

Qu. II. *Quale est jus naturæ circa acquisitionem rerum bello captarum?*

℞. Bello justo ea nobis acquiruntur, quæ tanti sunt, quanti æstimatur quod nobis *ab hostibus debetur* & non redditum est per pacem computatis simul *impensis* in violentam juris executionem factis. Ultra enim nihil nobis amplius abest

abest, ergo etiam nihil amplius ab illis capere possumus. Et hoc jus prædæ Deus ipse probat, *Deut. XX, 14. Num. XXXI, 11.* Grot. *III. 6. 1.* Puf. *VIII. 6. 20.*

Qu. III. *Quid circa illam ex moribus gentium observatur?*

℞. His moribus non tantum is qui ex justa causa bellum gerit, sed & *quivis in bello solenni* sine fine modoque dominus fit eorum quæ hosti eripit, eo sensu, ut à gentibus omnibus & ipse, & qui ab eo titulum habent, in possessione rerum talium tuendi sint; quod dominium quoad *effectus externos*, in quantum non habeatur pro fure, & proprio nomine pro lubitu de hac re disponere potest, appellare licet Grot. *cap. 6. §. 2. ibique* Tesm. *lit. a.* vid. van der Muelen. *ad d. §. 2.*

Qu. IV. *Ex quo tempore res censentur capta?*

℞. Tempus à gentibus pro arbitrio determinari potest. Communiter *res mobilis* capta dicitur, quando intra præsidia hostium perducta fuit. Et quamvis

Jure Rom. §.17. *I. de R. D.* res captæ *statim* dicantur capientium fieri, tamen cum conditione aliqua *continuandæ* sc. eousque *possessionis* intelligi debet. *Res immobiles* captæ intelliguntur, non statim ac insessæ sunt, sed cum mansuris munitionibus ita includuntur, ut nisi iis expugnatis parti alteri palam aditus non sit, seu quas contra hostium insultus defendere possumus. Grot. *c. 6. §. 3. & 4. & c. 20. §. 12. n. 2. ibique* Ziegl. & Tesm. Budd. *El. Ph. Pr. P. 2. c. 5. S. 6. §. 2.* Alberic. Gentil. *Advocat. Hispan. l. 1. c. 2.*

Qu. V. *An res exterorum, quæ fortè apud hostes reperiuntur, bello acquiruntur?*

℞. Neg. quia non sunt sine dominio, & causa quæ res hostium extra dominium ponit, in iis planè cessat. Si tamen eo consilio sint missæ ad hostem, *ut juvent eum*, merito pro hostilibus habentur, nec non *jus quod in illis rebus hostis habet*, & possessioni connectitur, puta pignoris, servitutis, retentionis rectè capientibus acquiritur. Quæ in *navi hostili* depre-hen-

henduntur, tamdiu pro hostilibus habentur, donec probetur contrarium Grot. *c. 6.* §. *5. 6. 26. n. 1. ibique* van der Muelen. Zouch. *de judic. int. Gent. P. 2. S. 8. qu. 5. & 6.* Voet. *de jure milit. c. 5. n. 21.*

Qu. VI. *Possuntne vindicari quæ per nos hostibus erepta ab his, qui ante hostes nostros ea possederunt & bello amiserunt?*

℞. Non possunt *ex moribus gentium* si bellum fuerit solenne, quia hostes primum domini facti dominio externo, deinde nos Grot. *cap. 6.* §. *7.* Secundum *Jus naturæ* despiciendum fueritne bellum justum an injustum. *Si hoc* prioris domini jus nondum exspiravit adeoque res istæ vindicari possunt. *Si istud* à nobis repeti nequeunt, quia in justi domini locum succedimus Budd. *d. l.* §. *4.* Burger. *Cent. 1. O. 54.*

Qu. VII. *Cui acquiruntur res hostium in bello captæ?*

℞. Variæ sunt hac de re Ddum sententiæ, de quibus videatur Grot. *c. 6.* §. *8. ibique* Ziegl. & Tesm. *lit. a.* Verissima

est,

eſt, illas acquiri *Principi cujus auſpiciis bellum geritur*, non militi aut ſubditis, qui tantum inſtrumenta ſunt ſummi imperantis, cujus autoritate omnia agunt. Non enim miles ſuſtinet privatam ſed publicam perſonam, adeoque nihil ſuo ſed alieno nomine agit, nihilque amplius petere poteſt, quam quod pacto convento ei debetur. Econtrario Princeps ſolus fert ſumtus belli, itaque & ſolus commoda ferre debet. Teſm. *d. l. & Diſſert. de Pilagio p. m. 77. ſeqq.* Diſſent. Textor. *c. 18. n. 67.* cui reſp. Kulpiſ. *c. 6. §. 2. lit. b.* & Muelen §. 13.

Qu. VIII. *Si rebus bello occupatis onus aliquod adhæreat, an id victoriâ extinctum eſt?*

℟. Neg. ſed illas eodem onere poſſidere debet victor, quia is nihil amplius quam *bona & poſſeſſiones devicti* prætendere poteſt, non bona aliena & tertii innocentis. Et quomodocunque fiat mutatio perſonarum, res tamen ſemper cum ſuo onere & cauſa tranſit. Burger. *Cent. 2. O. 5.*

Qu. IX.

Qu. IX. *An singuli milites nihil acquirunt?*

℞. Nihil, sed suis stipendiis contenti esse debent, nisi *consensu* Imperantis acquirant prædam ut alacriores ad dimicandum reddantur. Nec distinguendum est inter *actus publicos & privatos*, ut, quæ his & quidem extra ministerium publicum acquirunt, sua faciant. In bello enim privatus *ut privatus* nullam facultatem quicquam gerendi habet, sed necesse est, ut semper *publica autoritas* accedat, sive hæc ad quosdam sive ad omnes actus impertiatur. Ziegl. Tesm. Hennig. & van der Muelen *ad. Grot. h. c.* §. *12. 13. 14.* Puf. *VIII. 6. 21. ibique* Hertius Dissent. Grot. *c. 6.* §. *10-14.* & Kulpis. *Dissert. Academ. VIII. de privatis in hostem excursion.* §. *17.*

Qu. X. *Quot prædarum genera, & quomodo prædæ dividuntur?*

℞. In homines captivos, armenta, greges, pecunias, res mobiles & alias pretiosas aut viliores. Grot. *c. 6.* §. *20. n. 2.*

Qu. XI.

Qu. XI. *Quomodo consentit imperans, ut sit præda militum?*

℞. Vel *in genere* quando cuilibet dat facultatem res mobiles capiendi & acquirendi, quod tamen non satis consultum videtur, quia hac ratione debitum ab hoste præstandum excedere posset præda. Vel ita, si res quæ bellico jure sunt acquisitæ imperanti, is deinceps illas inter milites aut ratione stipendiorum aut meritorum *distribuit.* A cujus etiam arbitrio pendet, an aliis civibus præter milites, quibus onera belli sustinere incumbit, an viduis, senibus, pupillis egentibus partem prædæ relinquere velit. Grot. *c. 6. §. 17. 22. 26. ibique* Tesm. Budd. *d. l. §. 6. vid. infr. h. c. qu. 16.*

Qu. XII. *An prædæ concessio sit semper per modum donationis?*

℞. Neg. sed interdum *ex contractu*, aliquando etiam per prædæ distributionem solvitur id quod debetur, præclare facta remunerantur, aut sumtus in bellum facti refunduntur, ut cum socii aut subditi nullo stipendio militent, aut non

tali

tali quod operæ respondeat. Grot. §. 22. *cap. 6.* Tesm. *Dissert. de Pilagio p. m.* 101. *seqq.*

Qu. XIII. *Itane socii aut subditi sua faciunt, quæ in bello capiunt?*

℞. Aff. si sine stipendio & suo sumtu suoque periculo bellum gerunt. Quod tamen de rebus *mobilibus* non *immobilibus* intelligendum, quæ solummodo illi cedere debent, qui suo nomine bellum gerit. Quod in subditis tanto certius, quia, si iis ditiones & urbes in prædam cederent, periculum esset, ne, separata ibi constituta republ. à cætero corpore divellerentur. Grot. *c. 6.* §. *23. ibique* Hennig. Aliter Burger. *Cent. 1. O. 97.*

Qu. XIV. *Quæ est ratio in sociis?*

℞. Quia socio indemnitas est præstanda ob sumtus, cum nemini officium damnosum esse debeat. Et ut gentes obligatæ sunt, ut oppressis succurrant, ita illæ quibus succurrunt viceversa obligantur, ut hoc grato animo agnoscant. Nisi ergo causa alia appareat, puta *beneficentia*

mera

mera aut *contractus antecedens*, credibile est, socios prædæ causa auxilia tulisse, Grot. §. 23. *ibique* van der Muelen. Tesm. *lit. a. & c.* Kulpis. *b. c.* §. 3. *lit. s.*

Qu. XV. *Quæ est ratio in subditis?*

℞. In his id non æque evidenter procedit, quia hi operam civitati suæ debent: sed contra occurrit, quod ubi non omnes sed *aliqui* militant, his ipsis à corpore civitatis retributio debetur ejus, quod *plus cæteris operæ* aut sumtus impendunt, multoque magis damnorum, in cujus retributionis certæ locum spes prædæ totius aut partis incertæ facile nec sine ratione conceditur. Grot. *c. 6.* §. *24. n. 1.*

Qu. XVI. *Variatne jus militare circa prædæ acquisitionem apud diversos populos?*

℞. Aff. & quænam ea fuerit apud Hebræos, Romanos, Gallos, Hispanos tradit, Grot. *d.* §. *24.* Voet. *de jure milit. cap. 5. n. 7. seqq.* Apud *Suecos* oppida, arces, castella, vici ac pagi, munimenta expugnata, ibique deprehensa tormenta cum adpertinentibus instrumentis pulvere pyrio,

pyrio, commeatuque Regi, cætera militibus cedunt, detracta parte decima pro ægrotis. Apud *Hollandos* præda ex hostibus capta intra tres horas summo Duci indicari debet, quæ annotatur ac publicatur postea. Si quis reticet prædam ac vendit ipse, capite plectitur. van der Muelen ad *d.* §. *24.* Kulpis. *b. c.* §. *3. lit. t. & y.*

Qu. XVII. *Quo hæc nosse pertinent?*

℞. Ut sciamus, si apud populum bello non permixtum controversia oriatur de re bello capta, addicendam rem ei, cui favent leges aut mores populi à *cujus partibus* res capta est. Quod si ejus nihil probetur, ex communi jure gentium res ipsi populo vel regi adjudicanda. Grot. §. *25. ibique* Tesm. & Hennig.

Qu. XVIII. *An ubique locorum res hostium capere licet?*

℞. Aff. quia, quod majus est, hostem ubique interficere licet *b. l. c. 4. qu. 10.* Hinc etiam depositum in ædibus sacris fit capientium. Modo abstineas à terri-

torio pacati, quod turbare nefas est, qui proinde si contra factum fuerit, de eo, (non de re capta, quæ capientis manet) tanquam de delicto poscere potest, ut sibi satisfiat. Grot. *c. 6. §. 26. n. 2. ibique* Muelen. Burger. *Cent. 1. O. 24.*

Qu. XIX. *An jus acquirendi res bello captas proprium tantum est belli solennis?*

℞. Non, sed etiam ad bella *minus solennia*, quæ judice deficiente geruntur, pertinet. Cum enim tale bellum gerere licet, effectum sane aliquem & vim habere debet, qualis est acquisitio dominii rerum hostilium. Si autem sint *disceptationes inter cives*, nulla fit dominii mutatio, nisi autoritate judicis. Hennig. & van der Muelen. *h. c. §. 27.* Dissent. Grot. *d. §. 27.*

Qu. XX. *Quid si in bello solenni plus captum quam ab hoste petere poteramus?*

℞. Peccato non vacat nec à restitutionis onere immunis est ista captura. Hinc licentia sine fine & modo capiendi

res

res hoſtium, quæ prava conſuetudine gentium introducta *qu. 1. & 3. h. c.* ad juſtitiæ normam accommodanda, ut captum ultra quam ſibi debetur, aut quod ob neceſſariam ſecuritatem detinetur, periculo ceſſante reſtituatur. Grot. *c. 13. §. 1.* Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 4. §. 15.*

Qu. XXI. *Quousque patent capturæ bona ſubditorum hoſtilium?*

℟. Capi & acquiri poſſunt ſive nobis debeatur *ex contractu* ſive *ex delicto* Principis aut populi. Diſſent. Grot. *c. 13. §. 1. n. 2. & §. 2.* nec tantum ad conſecutionem debiti *primarii*, unde bellum ortum eſt, ſed & *ſubnaſcentis*, quod ſumtus bellicos & omne id quod intereſt, continet. Grot. *c. 13. §. 3.* Ziegl. Oſiand. & van der Muelen. *ad d. §. 1. & 3.*

Qu. XXII. *Quid à victore exigit humanitas?*

℟. Ut velut creditores erga debitores ſuos aliqua bonitate inducendi *L. 33. pr. ff. de Uſur.* ita & victor ſubditis, qui extra culpam ſunt belli, quique tantum quaſi

fidejussorio nomine obstricti sunt, relinquat res istas, quibus is facilius quam hi carere possunt, maximè si appareat, illos ipsos id, quod eo modo amiserunt, à civitate sua non recuperaturos esse. Deinde quamdiu spes est ipsum suum satis facile consequi posse ab *originariis* debitoribus, ne ad eos veniat, qui culpa vacant. Grot. *c.13.§.4.n.2.&3.* Dissent. *ibi* Osiand. & Ziegl.

CAPUT VII.

De jure in captivos.

CAPUT XIV.

Temperam. circa captivos.

Qu. I. *Quorum sit captura in bello?*

TAm rerum quam hominum. De illarum captura actum *cap. praeced.* horum est vel *singulorum* vel *universorum*, & de illis *hoc cap.* de his *capite seq.* agetur.

Qu. II. *Quousque patet captura hominum singulorum?*

℞. Ex belli rigore impunè se extendit

dit tum ad *servitutem personarum* tum ad *servitutis effecta*, ut captores tot commodis, quæ trahuntur ex captivis, deliniti, libenter abstineant à summo illo rigore, quo captos & statim & post moram interficere poterant. Grot. *III. 7. 1. n. 2. & §. 5. ibique* Obrecht.

Qu. III. *Quinam capti fiunt servi?*

℞. Non solum qui se dedunt aut servitutem promittunt, sed omnes omnino solenni bello capti, ex quo scilicet intra præsidia perducti sunt, neque tantum ipsi sed & posteri eorum in perpetuum, quia si captores summo jure uterentur, illi ipsi nasciturì non erunt. Grot. *dd. §. vid. supr. L. 2. c. 5. qu. 49.* Budd. *El. Ph. Pr. P. 2. c. 5. S. 6. §. 9.* qui *n. 12.* quoad posteros dissentit.

Qu. IV. *Quam late patent servitutis effecta?*

℞. Hæc infinita sunt, ut nihil non in servum domino impunè liceat, ac domino acquiruntur res omnes quæ cum persona capiuntur, Grot. *d. c. 7. §. 3.*

Qu. V. *An incorporalia devictorum etiam acquiruntur victori?*

℞. Non acquiruntur primo ac *per se*, sed *media persona* cujus ea fuerant. Hinc Chirographo occupato, jus debitum exigendi acquisitum non est: nam jus illud personæ adhæret, & in chirographo tantum probatio debiti continetur. Ea etiam quæ ex *singulari personæ proprietate* fluunt, ac proinde inalienabilia sunt, ut jus patrium, cum persona in victorem non transeunt, sed si manere possunt manent, sin non, extingvuntur. Grot. *c. 7. §. 4. & c. 8. §. 4. n. 2.* Puf. *VIII. 6. 22. seq.* Burger. *Cent. 1. O. 25. & 26. vid. infr. cap. 9. qu. 8.*

Qu. VI. *Cui cedunt homines ita capti?*

℞. Illi cujus auspiciis bellum geritur non singulis, homines enim hac in re jure belli rebus æquantur, nisi singulis militibus Princeps jus homines sibi capiendi concesserit. Grot. *c. 7. §. 5. n. 4. & §. 9. n. 2. ibique* Tesm. Kulpis. *h. c. §. 1.*

Qu. VII. *An injusto bello captis aufugere licet?*

℞. Li-

℞. Licet illis aufugere & bona sua secum auferre, quia quilibet captivus eousque saltem hostium est, donec fugiendi facultas incipiat, nam vi, qua tenebatur, cessante, lubens sequi castra & præsidia hostium non tenetur. Nec captor talis ob vitam servatam potest videri sibi jus ad gratitudinem sibi quæsivisse, nam non jus habuit auferendi vitam, & sic ipsi reliquit, quod jure naturæ relinquendum erat, nec liberalitas est in eo, quod meum est, & auferri non debet. Alia ratio, si captus fide data hosti ad manendum sese obligaverit. Grot. *c. 7. §. 6. ibique* Tesm. *lit. e.* & Obrecht. Dissent. *ibi* Ziegl. Osiand. & van der Muelen.

Qu. VIII. *An domino jus suum exequenti resistere potest servus?*

℞. Neg. ut si opus ei injungat, vel eum castiget, quia cum jus domini non sola agendi *impunitate*, sed & *judiciorum tutela* constat, id alias inane esset, si ex adverso jus resistendi maneat. Nisi dominus *vitam servi* impetat, tunc enim nihil est, quod prohibe-

ret servo naturalem defensionem. Grot. *c. 7. §. 7. ibique* van der Muelen.

Qu. IX. *An inter omnes gentes adhuc in usu est servitus bellica?*

℞. Non amplius in bellis *Christianorum* obtinet, ut capti vendi possint, ad operas urgeri & alia pati, quae servorum sunt, ob exquisitius charitatis studium & Christi monitum *Matth. XXIII, 8.* Mos tamen *custodiendi* captivos inter illos mansit, donec vel facta permutatione redimantur, vel dato Lytro, quod victor determinat. Grot. *III. 14. 9. n. 1.* nisi super ejus quantitate inter belligerantes pacto conventum, quod hodie vocari solet ein *Cartel*, cujus speciem exhibet Dn. Hertius *in Opusc. Tom. I. Comment. de Lytro Sect. 3.* vid. Burger. *Cent. 1. O. 31. 34. 37.* Feltmann. *Respons. Milit. 9. n. 39. seqq.* In bellis vero *Christianorum & Infidelium* capti adhuc fiunt servi, nam illi contra hos jure retorsionis utuntur, quia hi captos Christianos durissima servitutis lege detinent Grot. *c. 7. §. 8. & 9. ibique* van der Muelen, Kulpis. *h. c. §. 2.* Textor. *c. 18. n. 40 --- 50.*

Stryk.

Stryk. *in Usu Mod. ff. tit. de Statu hom.* §. *2. sqq.*

Qu. X. *Ubi servitus adhuc in usu est, quousque jure naturali extendi potest?*

℞. Non ultra numerum & pretium corporum, quo exæquatur aut à principio nobis datum, aut à suborientibus postea causis profectum damnum nisi forte in ipsis hominibus peculiare delictum sit, quod libertatis damno puniri fert æquitas. Grot. *c. 14.* §. *1. ibique* van der Muelen.

Qu. XI. *Quid dictat jus naturale, licere domino in personas captorum?*

℞. Quia ex hominum numero non delentur per servitutem, non jus vitæ & necis, quod rigor belli permittebat, sed *domesticam Jurisdictionem* domino indulget, eadem religione exercendam, qua publica exercetur, ut & in minoribus correctionibus, puta verberibus, moderatio & clementia adhibeatur. Grot. *c. 14.* §. *3. & 4.*

Qu. XII. *Quid circa operas observare jubet?*

℟. Ut ratio habeatur *in operis exigendis & valetudinis* servorum humanæ, utque pro operis servo *alimenta* præstentur. Si quid fecerit, quod servilis officii modum excedit, aut quod non ex imperio sed voluntate præstatur, in eo etiam beneficii materia erit. Consequenter ipsi *aliquid proprii* relinquendum, si quid comparsit defraudans genium suum, aut succisivi temporis diligentiâ quæsivit, quod citra delictum suum aut domini necessitatem ipsi auferri non debet. Imo post longas operas aut valdè magnas etiam danda servo *libertas* per *manumissionem*. Grot. *c.14. §.5. & 6. ibique* Tesm.

Qu. XIII. *An justo bello captis fugere licet?*

℟. Neg. quia civitatis nomine obligantur victori, nisi intolerabilis domini *sævitia eos* excuset. Et quia fœtus sequitur conditionem ventris, is etiam eidem *servituti* subjicitur, cui mater. *§. 2. J. de his qui sui vel al. jur. sunt. L. 7. C. de R.*

de R. V. vid. qu. 7. b. c. Aliter Grot. *c. 14. §. ult.*

CAPVT VIII.
De Imperio in victos.

CAPVT XV.
Temperamentum circa acquisitionem Imperii.

Qu. I. *In quo consistit acquisitio hominum universorum?*

IN subjectione Reipubl. quatenus ea sub imperium victoris redigitur. conf. *qu. 1. cap. prae.*

Qu. II. *An demum ea hunc effectum habet quando victor nititur justa belli causa?*

℞. Quoties subditi adeo superati, ut vires nullas habeant resistendi victori, invasor etiam injustus *solâ victoriâ* accepisse imperium censendus est, eo ipso quod plerumque victorum consensum trahat. Hinc victori incolumitas debetur, quod victis pepercit, & vitæ concessæ beneficio sese hostem non præbuit.

Horn,

Horn. *de Civit. L. 2. c. 9. §. 2. 3. 4.* Hert. *Opusc. Tom. I. Exerc. de modo constituend. civit. §. 4. p. 413.* conf. *l. 1. c. 4. qu. 18. 19. & L. 2. c. 22. qu. 1. & 2.*

Qu. III. *Quale imperium in victos acquiritur?*

℞. Vel *mere civile*, idque vel tantum ut est *in rege* aut alio imperante, & tunc saltem in ejus jus succeditur non ultra, vel ut est *in populo*, quo casu victor habet absolutissimum imperium, ut & alienare possit sine populi consensu, fitque hoc regnum *patrimoniale*, sicut illud *non patrimoniale*. Vel acquiritur *mere herile*, ut quæ civitas fuit, esse desinat, & vel accessio fiat alterius civitatis, uti romanæ provinciæ, vel nulli civitati adhæreat, regenda non ad populi sed familiæ modum. Vel *mixtum* ex civili & herili, ita ut cum aliqua personali libertate misceatur servitus. Grot. *III. 8. 1. 2. 3. ibique* Gronov. & Obrecht. Vitriar. *Inst. J. N. & Gent. b. c. qu. 1. & 2.*

Qu. IV. *Quænam res mediante imperio acquiruntur?*

℞. Non

℞. Non solum res singulorum sed & universitatis fiunt eorum, qui sibi universitatem subjiciunt, si ipsi velint, & tam *corporales* ut ærarium, quam *incorporales* ut jura, quæ universitatis fuerunt, debita & credita. Qui enim dominus est personarum, dominus etiam est rerum & jurium, quæ personis competunt. Grot. *c. 8. §. 4.* van der Muelen *ad c. 9. §. 6. vid. supr. h. l. c. 7. qu. 5.*

Qu. V. *Num pertinet ad virum bonum gaudere de Imperii latitudine?*

℞. Neg. felicitas quippe major est, vicinum habere concordem, quam vicinum malum subjugare bellantem. Omnino enim detestandum est studium proferendorum per arma finium, cum finis belli sit ac omnibus esse debeat, tantum amovere ea quæ pacem perturbant. Grot. *c. 15. §. 2. n. 2.*

Qu. VI. *Annon temperamentum adhibendum circa acquisitionem imperii?*

℞. Non minus prudentia quam lex natu-

naturæ jubet humanitati & clementiæ locum relinquere. Nam si laudabile in singulos captivos clementiam exercere, quanto magis ea laudanda, quando erga universitatem exercetur, cum in multos insignior & injuria & beneficentia. Grot. *c.* 15. §. 1. Burger. *Cent.* 3. *O.* 60.

Qu. VII. *Quomodo istam victor moderari debet?*

℞. Si jus imperantis in populum & jus quod in imperio habet ipse populus non ultra acquirat, quam fert aut *vindictæ* aut *alterius debiti modus*, & causa *securitatis* seu summi periculi evitandi, quæ semper tum in pace constituenda tum in utenda victoria maximè spectanda est. Si hoc obtineat victor, & facultatem nocendi adimat hosti, cætera est ut remittantur ex misericordia. In publico autem periculo quæ modum excedit securitas, immisericordia est. Grot. *c.* 15. §. 1. Rhet. *Diss. de Misericordia intempestiva c.* 6. *n.* 71. *seqq.*

Qu. VIII. *Ostende moderatæ victoriæ speciem?*

℞. Si victi victoribus misceantur ut unus populus fiat, si relinquatur *imperium* his qui habuerunt, quod non tantum humanitatis sed sæpè victoribus utile est. Ut vero securitati victoris consulatur, *præsidium* imponendum, tributa indicenda, arma, classis, arces, exercitus & similia adimenda. Si minus tutum sit omni imperio in victos abstinere, temperari res potest, ut *aliquid imperii* relinquatur victis. Sed & cum omne imperium victis eripitur, tamen circa res privatas & publicas minores sua privilegia, magistratus ac consuetudines non temerè mutanda. Grot. *c.* 15. §. 4--10. *ibique* Felde. Aberic. Gentil. *de jure belli. L.* 3. *c.* 10.

Qu. IX. *Qualis circa religionem moderatio adhibenda?*

℞. Indulgentiæ pars est *avitæ religionis* usum victis, nisi persvasis, non eripere, quod ut victis pergratum, ita victori innoxium. Interim si *falsa* apud victos *reli-*

religio, quæ primis nobis innatis divinitatis ideis & religionis principiis adversatur, ea non tantum ut planè extirpetur, sed & ne vera opprimatur, rectè curabit victor. Grot. *c.* 15. §. 11. *ibique* Obrecht. van der Muelen.

Qu. X. *Quid si assumatur plenissimum imperium & quasi berile?*

℟. Victi tamen clementer habendi, ita ut eorum utilitates cum utilitatibus victoris socientur, & ut videatur tantum mutatus rex, maneant ipsis domus, agri, jus in uxores, in liberos ut ante fuit. Quin si quis injuriam ipsis faciat, ut ipse & sui sint vindices. Grot. *c.* 15. §. *ult.*

CAPVT IX.

De Postliminio.

CAPVT XVI.

Temperamentum circa ea, quæ jure gentium postliminio carent.

Qu. I. *Quid est Postliminium?*

POstliminium est jus, quod ex reditu manente bello in fines publicos, sive

ve nostros sive sociorum & amicorum, *qui in bello easdem partes sequuntur* enascitur, ita ut prior ante captivitatem status reviviscat. Grot. *III. 9. 2. ibique* van der Muelen.

Qu. II. *An & si ad Neutrales fiat reditus juri postliminii locus?*

℟. Neg. quia qui in bello *medii* sunt, quicquid ab utroque belligerantium fit, *pro jure* accipiunt, cum ejus injustitia ob defectum judicii doceri non possit, adeoque nec captivitatem improbare possunt. Nisi belligerantes, ut apud neutrales postliminium valeat, pacti sint. Grot. *d.* §. *2. n. 2. ibique* Ziegl. Loccen. *de Jure marit. lib. 2. c. 4.* §. *6. seqq.* Dissent. Alberic. Gentil. *Hispan. Advocat. L. 1. c. 1.*

Qu. III. *Cur opus est postliminio?*

℟. Quia cum captus verè factus servus hostium, eorumque judicio omnia sua jura & bona amisit, excogitandum fuit aliquod remedium, quo jus ejus, si quando è manibus hostium evasisset, recuperaretur. Huber. *Præl. ad ff. tit. d. Capt. & postl.* §. *2.*

Qu. IV. *Quotuplex est jus postliminii?*

℟. Ob duplex ejus objectum, quod sunt personæ & res, etiam in duas species distinguitur, ut aut *ipsi revertamur*, aut *aliquid recipiamus* postliminio. Grot. *c.* 9. §. 3. *in f.* & §. 4. *n.* 4. Obrecht. *ad. d.* §. 3.

Qu. V. *An est postliminium in pace?*

℟. Fato deprehensis in loco hostili cum bellum exardesceret, *postliminium* conceditur *in pace*, non virtute bellica superatis, quia *illi* confessione partium innocentes & tantum ad minuendas hostium vires manente bello retinentur, *hi* propter injuriam illatam jure videntur capti, unde quoad *illos* nihil obtendi potest, quo minus bello composito dimittantur, *hi* ex justa causa captivi retinentur, nisi pace facta speciali pacto restituantur. *L.* 12. *pr. f. de Captiv.* Grot. *c.* 9. §. 4, *n.* 2. & 3. *ibique* Tesm. *lit. p.* & Gronov. Alii ita: quia pace facta tantum transactum de causa inter summas potestates controversa, non de damnis & injuriis

juriis pendente bello factis, quæ specialem pactionem requirunt, hinc si pace facta personæ aut res captæ perveniunt ad suos, in pace tunc postliminium dari statuunt. Dn. Coccej. *d. Diss. Sect. 1. §. 8. & S. 2. §. 28. & per tot.*

Qu. VI. *Quinam in bello postliminio redeunt?*

℟. *Homines*, qui antequam caperentur liberi fuerant, si eo animo ad suos redeant, ut res eorum sequantur, sive *dolo* evadant, sive vi, sive *sponte* ab hostibus tradantur, etiamsi ab hostibus venditi commercio ad suos redeant, quia horum alienatio cum causa facta, i. e. ut postliminio redire & pristinum suum statum recuperare possunt Grot. *c. 9. §. 5. ibique* Tesm. *lit. a. & e.*

Qu. VII. *Quid recuperat liber homo, qui ita rediit?*

℟. Et se & res omnes quas habuerat apud suos & apud populum pacatum, sive corporales sive incorporales, etiam dignitates & officia hereditaria, alia autem, si non jam sint in alios collata. Populi

enim pacati ſicut factum pro jure ſecuti erant in capto, ita & in liberato, ut ſe æquos præbeant utrique parti. Sicut vero ad ipſum *jura activa* redeunt, ita & *passiva* in ipſum reſtituuntur Grot. *l.* 9. §. 6. & 7. *ibique* van der Muelen. Textor. *c.* 18. *n.* 90.

Qu. VIII. *Annon cum perſona capta bona ejus alibi ſita victori quoque acquiſita erunt?*

℞. Affirmat id Grotius *c.* 9. §. 6. *n.* 1. & in illis conditionale dominium aſſignat, quod cum homine perdit, ſi ille ad ſuos pervenit. Verum rectius bona capti, niſi ſint *ſimul capta* victori non ſunt acquiſita, ſed ſubjecta manent *dominio Reipubl.* cui ob captivitatem domini privati non poſſunt ſubtrahi. Per captivitatem ergo ſaltem *dominium privatum* captivi perditum erat, quod reverſus jure poſtliminii recipit. Hennig. & van der Muelen. *ad d.* §. 6. *vid. cap.* 7. *qu.* 5. *b. l.*

Qu. IX. *Quid ſi interim, abſente captivo, rem ejus poſſeſſor alienaverit?*

℞. Jure

℞. Jure poſtliminii à tertio poſſeſſore recuperantur omnes, ſive ſint *mobiles* ſive *immobiles*. In omnibus enim eadem eſt ratio, nempe, quod, niſi ſub conditione, ut reſtituantur priſtino domino, alienari nequeant. Budd. *Ph. Pract. P. 2. c. 5. Sect. 6. §. 28.* Si ab hoſte *occupatæ & alienatæ* diſtinguendum an ſint immobiles an mobiles. Illas tertius poſſeſſor non ſatis tuto posſidet, ob jus poſtliminii quod in ſuſpenſo eſt. Has retinet, quia in præda ſunt, nec recuperantur. vid. infr. *qu. 14.* Aliter Grot. *c. 9. §. 6. n. 2.*

Qu. X. *Qui non gaudent poſtliminio?*

℞. Qui armis victi *& interveniente quadam transactione*, ſe hoſti dederunt, nam pactiones cum hoſtibus factæ valent, citra jus aliquod poſtliminii. Non qui in acie victi *ſe ſubito dederunt*, ut vitam conſervarent, die Qvartier begehren Grot. *c. 9. §. 8. ibique* Teſm. & Obrecht. Budd. *d. l. §. 26.* Coccejus *d. l. Sect. 2. §. 15. ſeqq.*

Qu. XI. *An induciarum tempore datur poſtliminium?*

 ℞. Neg.

℟. Neg. nam nec tunc in servitutem est redactio, & licet utrinque commeare sine fraude Grot. *d. l. ibique* Tesm. Textor. *c. 19. n. 13. seqq.*

Qu. XII. *An ut singuli, ita & universi postliminio redeunt?*

℟. Aff. ut nempe, qui liberi fuerunt suam recipiant libertatem, si forte eos vis sociorum eximat hostili imperio, aut propriis viribus se vindicent in libertatem. Nisi consensus obstet, aut jam ipsa multitudo, quæ civitatem constituerat, dissoluta sit. Grot. *c. 9. §. 9.* Puf. *VIII. 6. 26.* vid. van der Muelen. *ad d. §. 9.* & Huber. *c. l. §. 10. seqq.*

Qu. XIII. *Quid si captus apud hostes decesserit?*

℟. Bona ejus non fiunt occupantium, quasi pro nullo habeatur, qui apud hostes est, sed cedunt proximis *consanguineis*, aut his deficientibus Fisco, ob *eminens dominium*, quod Respubl. habet in bona civium. Muelen §. *10.* Dissent. Grot. §. *10. n. 4.*

Qu. XIV.

Qu. XIV. *Quænam jure postlim. recipiuntur?*

℞. *Personæ & res.* Ac illæ primum *singulæ* servi & ancillæ, etiam transfugæ & ab hoste manumissi, quamprimum aut revera habentur â vetere domino aut haberi facile possunt. Deinde *universæ*, populus nimirum, qui subjectus *alieno imperio* fuerat, & jam ereptus sit â sociorum aliquo, nisi sociali fœdere aliud cautum sit Grot. *§. 11. & 12. ibique* Tesm. Ziegl. Hennig.

Qu. XV. *Quænam res sunt in postliminio?*

℞. *Immobiles* ut agri, simul ac hostes sunt expulsi, ut amplius eo accedere non possint. Idem obtinet in *omni jure quod solo adhæret.* Sic loca ab hoste occupata, quæ antea fuerunt religiosa vel sacra, si ab hac calamitate sunt liberata, sine nova dedicatione pristino statui sunt restituenda. Et agro recepto, *ususfructus* agri restituitur, fructus autem ab alio interim percepti non restituuntur. *Res mobiles* in postliminio non redeunt, sed

in præda sunt, ita ut commercio paratæ, maneant eorum qui emerant; nec apud pacatos reperta aut intra fines perducta vindicandi jus est veteri domino. Grot. *c.9.§.13.& 14. ibique* Tesm. Ziegl. *de Jure M. L. 1. c. 33. §. 83.* Dissent. Puf. *VIII. 6.25.*

Qu. XVI. *A quo personæ & res postliminio recipiuntur?*

℞. A pristino domino, huic enim non jure dicuntur in bello ablatæ, ergo sunt eidem restituendæ. Non à militibus, quia hi ministri civitatis sunt, quæ curare debet, ut cui res erepta ab eo recuperetur. *L. 19. pr. ff. de capt.* Puf. *VIII. 6. 25.*

Qu. XVII. *Quid si res deprædatæ nondum intra præsidia hostium perductæ sint?*

℞. Non egent postliminii, quia dominum nondum mutarunt. Nec postliminio indigent, quæ *piratæ* aut *latrones* nobis eripuerunt, quia illis jus gentium non concessit, ut possint jus dominii mutare, itaque res ab ipsis captæ *ubicunque reperiuntur vindicari* possunt; modo possessori sumtus restituantur, quantum ipse

ipſe dominus ad rem recuperandam libenter impenſurus fuerat. Grot. *c. 9.* §. *16.* Bürger. *Cent. 1. O. 55.* Zouch. *de jure feciał. P. 2. c. 8. qu. 15.* vid. Huber. *c. l.* §. *5.*

Qu. XVIII. *An quæ de poſtliminio dicta jure civili reſtringi vel extendi poſſunt?*

℟. Aff. prout reip. utilitas & neceſſitas exigere videtur. *L. 6. ff. de J. & J.* Grot. §. 17. *ibique* Commentat.

Qu. XIX. *An eſt poſtliminium extra bellum inter populos qui non ſunt hoſtes?*

℟. Neg. ſunt enim tales vagus incertæ ſedis populus, ex reliquiis ſeculi *Nomadum*, qui in ſolos cives humanitatis officia eſſe exercenda, exteros quosque hoſtium loco habendos, in quos latrocinari nullo bello indicto licitum eſſe putabat, quam licentiam mores approbaverant contra ſenſum naturalis ſocietatis, quæ eſt inter homines. Sed ne ea licentia ad interficiendos homines proſiliret, placuit captivitatis jura inter tales populos introduci, cui conſequens fuit, ut &

postliminio locus esset, aliter quam cum latronibus ac piratis, quia illa vis rem producebat ad æquas portiones, quæ à latronibus & piratis contemni solent. *L. 5. §. 2. ff. de Capt. & postl.* Grot. *L. 2. c. 15. §. 5. n. 2. & L. 3. c. 9. §. 18.* Observ. Hallens. *Tom. VII. O. 6. & 7.* Textor. *c. 18. n. 103. seq.* vid. Coccej. *d. l. Sect. 2. §. 29.*

Qu. XX. *An adhuc hodie in usu est jus postliminii?*

℞. Inter Christianos ut & Mahumedanos inter se *quoad personas* ob cessantem captivitatem evanuit. Feltman. *Responso Milit. 9. n. 4. seqq. supr. l. 3. c. 7. qu. 9. at ratione rerum atque jurium*, quæ hostis abstulit, & jure belli eorum dominium quæsivit, postliminium durat. Grot. *c. 9. §. 19. ibique* Henniges. Coccej. *d. Sect. 2. §. 9. & 12.*

Qu. XXI. *Quomodo ex eo quod justum est temperandum postliminium?*

℞. Ut res quæ *postliminio carent* v. gr. mobiles in *justo bello* captæ non ultra debiti magnitudinem sint in præda, in

inju-

injusto vero captæ, cum à latrocinio nihil distet, omnes restituantur illis, quibus fuerant ereptæ, non ab eo tantum qui cepit, sed & ab aliis, ad quos res quoquo modo pervenerunt, quia ipse captor tantum ex moribus gentium habuit *dominium externum*, qui proindè nec plus juris in alium transferre potuit. Grot. *c.* *16. §. 1. ibique* Tesm. *Lit. i.* Budd. *d. l.* *§.31.*

Qu. XXII. *Quid est dominium externum?*

℟. Est commodum hoc, quod rem tenens ubique judiciaria autoritate ac manu pro domino tuendus sit. Quo tamen contra dominum uti nequit, cui res malo facto erepta est. Grot. *d. §. 1. n. 1. ibique* Obrecht.

Qu. XXIII. *Quid si commercio res talis ad tertium pervenerit?*

℟. Tertio pro ea tantum solvere debet, quanti ipsi, qui rem amiserat, *desperatæ possessionis* recuperatio valitura fuerat. Item *æstimatio laboris & periculi*

est

est restituenda, perinde ac si quis rem alienam in mari perditam urinando eduxisset. Grot. *c. 16. §. 3. n. 1.* Burger. *Cent. 1. O. 54.*

Qu. XXIV. *An etiam reddendi populi & partes populorum?*

℞. Aff. & quidem his, qui jus imperii habuerunt, aut etiam sibi, si sui fuerunt juris ante vim injustam. Grot. *c. 16, §. 4.*

Qu. XXV. *An obligatio restituendi ullo tempore exspirare potest?*

℞. Aff. si *sufficiens tempus* ad extinguendam istam obligationem effluxerit; quod inter ejusdem imperii cives definiendum est *ex legibus eorum:* inter eos verò qui alii aliis externi sunt, ex *sola conjectura derelictionis*. Grot. *c. 16. §. 5.*

Qu. XXVI. *Quid si causa belli est dubia?*

℞. Optimum erit Arati consilium sequi, qui partim *novis possessoribus* persuasit, ut pecuniam accipere mallent, & possessionibus cederent; partim *veteribus dominis*, ut commodius putarent nume-

numerari sibi, quod tanti est, quam suum recuperare. Grot. *c.16. §. 6.*

CAPVT X. apud Grot. XVII.

De his qui in bello medii sunt.

Qu. I. *Quinam medii in bello dicuntur?*

Qui belli societatem declinant, & se inter ipsos belligerantes quietos tenent, quorum status *Neutralitas* & ipsi *Neutrales* moribus nostris appellantur.

Qu. II. *Jurisne an consilii est Neutralitas?*

℞. *Juris* est quoad officia belligerantium erga medios, & horum erga illos; *Consilii* vero & prudentiæ est, quoad caussas an amplectenda vel declinanda, illis scilicet, qui ita siti inter hostes, ut nec vincere nec vinci sine eorum periculo possint Grot. *III. 17. 1. & 3.* Seckendorf. *Discurs. ad Lucan. O. 75. seq.* Burger. *Cent. 2. O. 33. in f.* Obs. Hall. *Tom. 8. O. 5.*

Qu. III. *Quid considerandum consultanti?*

℞. Ex-

℞. Expendendæ ſunt cauſæ quæ ſvadent *neutralitatem* & incommoda quæ diſuadent. Illarum erunt, amor tranquillitatis & pacis publicæ, incertus belli eventus, &c. Oelhaf. *Diſc. de Neutral. th.* 4--27. Inter hæc referri poſſunt: neutrales ſæpe partis potentioris vel utriusque hoſtis jam reconciliati prædam fieri, occultum odium quod illi in ſe trahunt. Idem *th.* 28---31. Conſideranda etiam *Aſſiſtentiæ* commoda, ut ſpes auxilii in ſimili neceſſitatis caſu, & incommoda quod aſſiſtens multis oneribus oneret ſuam provinciam. Idem §. 50. 56. Plures Neutralitatis & aſſiſtentiæ cauſas & exempla profert Neumayer. *Tr. de Neutral. & Aſſiſt. cap.* 1. *& ſeqq.*

Qu. IV. *Cauſis hiſce inter ſe pugnantibus, quid concludendum?*

℞. Tentanda inter diſſidentes reconciliatio, ſi fruſtra ceſſit, poſſunt comminationes miſceri, quod mediationem recuſans ſit bello petendus, ſi autem placuit neutralitas, cauſæ ejus ſunt publicandæ, & ſe utrinque amicum fore oſtendendum.

dum. Oelhaf. *d. disc. th. 61---65.* Neumayer. *d. Tr. cap. 8. n. 39. seqq. & cap. 10. §. 1. seqq.*

Qu. V. *Quotuplex est neutralitas?*

℞. Est vel *generalis*, quatenus quis non est socius alterutrius belligerantium, utut communia officia, quæ gens genti debet, utrique præstare paratus sit; vel *specialis*, ubi pacto expresso vel tacito aliquis ad mediam hanc conditionem se obligat. Posterius vel ita fit, ut utraque pars in omnibus æquetur, vel ut certæ res certique actus excipiantur. Est & alia *expressa* alia *tacita*, *quæ* ex usu æqualis amicitiæ hostibus hinc inde scientibus, & non contradicentibus contracta. Textor. *c. 26. n. 1. 2. 10. 11. & 20.*

Qu. VI. *An aliquis cogi potest, ut sit neutrarum partium, vel ut non sit?*

℞. Aut de facto aut de jure sermo est. *De facto* nullum est dubium, si cogens viribus sit superior. *De jure* nemo cogi potest, quia ut fœdus vel pactum, quo neutralitas vel partialitas contrahitur,

quis mecum ineat, ex nullo aut planè imperfecto jure est. Nisi 1. præcesserit aliquid, quod justam præbere possit causam, ut si quis hostibus pecuniam, frumentum aut simile quid sponte præstiterit. 2. illi, qui volunt esse neutrales, partium subditi sint, tunc enim cogi possunt, ne sint neutrales. Textor. *c. 26. n. 12.* Bœcler. *diss. Quies in turbis p. 191. seqq.* Pufend. *Rer. Svecic. L. 4. §. 1. 2. & 19. & L. 6. §. 36.*

Qu. VII. *Quodnam est officium belligerantium erga neutrales?*

℟. Ne quid hostile erga illos moliantur, aut res illorum vastari permittant. Cui fini prospiciendum militi necessariis, & ab eo exigenda obedientia eo strictior, quo magis justa solvantur. Grot. *III. 17. 2. n. 3. ibique* Tesm. *lit. n.*

Qu. VIII. *Quid si belligerantes urgeat summa necessitas?*

℟. Licebit illis castrum in territorio neutralis occupare, sed si custodia sufficiat, non sumendus usus, si usu opus est, non sumendus abusus, si abusu, restituendum

dum

dum tamen pretium cum castro cessante necessitate. Grot. *d. c. 17. §. 1.* Burger. *Cent. 1. Q. 99. & Cent. 2. Q. 33. vid. supr. L. 2. c. 2. qu. 27. & 28.*

Qu. IX. *Quod est officium neutralium erga belligerantes?*

℟. Opera danda, ne quid faciant quo alteri parti favere, alteram odisse merito suo credantur. Non impediant hanc, illam sublevent: non præstent illi, quod isti negant, sed aut neutram, aut utramque necessariis rebus ex æquo juvent. Bœcl. *d. l. p. 202. seq.* Oelhaf. *d. l. §. 66.* Aliter Grot. *c. 17. §. 3.* Si occultè contra hoc officium egerint, pro hoste erunt habendi, quia amicitiæ specie fefellerunt. Bœcl. *p. 220.* An utrique transitum debeant concedere, constat ex *L. 2. c. 2. qu. 31.*

Qu. X. *Num arma & quæ habent necessarium usum in bello hostibus vendere possunt?*

℟. Neg. quia in hostium numero censetur, qui, quæ propriè ad bellum usui sunt, hostili exercitui subministrat. Cæ-

Kk terum

terum proderit cum utraque parte belligerantium fœdus miſcere de mercibus & officiis humanitatis mutuo exhibendis. Grot. *c.* 17. §. 3. *ibique* Teſm. *lit. k.* Zentgrav. *de jure commerc. tertii inter belligerantes* §. 18. 19. 20. *vid. h. l. c.* 1. *qu.* 7. Diſſent. Textor. *c.* 26. *n.* 29. *ſeqq.*

Qu. XI. *An causa belligerantium non debet tertii pacati libertas commerciorum impediri?*

℞. Temperanda iſta libertas commerciorum ex neceſſitate incolumitatis alterius, ſi alias per advectionem talium mercium ad hoſtem, ſine ſuo potiri impediatur alter belligerantium. Huic enim ex legitima belli ratione jus oritur avertendi hoſtibus ſubvecta, & ſic ſaltem ad tempus aliquod impediendi libertatem commerciorum. Zentgrav. *d. l.* §. 20. *ſeqq.*

Qu. XII. *An neutralis partem victam & ad ſe fugientem recipere & tueri poteſt?*

℞. Neg. quia ſic neutralitatis leges migraret & ſe ipſum periculo exponeret, quan-

quando victor victum prosequeretur, quod potest facere in quocunque non pacato loco. Oelhaf. *d. l.* §. *71.* Neumeyer. *d. Tr. cap. 9.* §. *21.*

Qu. XIII. *An ad pacem debet componere belligerantes?*

℞. Aff. & sæpe quis ideo eligit neutras partes, ut conciliet dissidentes. Sæpè fieri solet, ut ii qui inter se bella gesserunt, acceptarum calamitatum tædio teneantur, belli pertæsi pacem ambiant, mediatore vero destituantur, tunc maximè conniti oportet Neutrales, ut per eos pax restituta videatur. Bodin. *Lib. 5. de republ. c. 6.* Oelhaf. *d. disc.* §. *22. & 72.* Bœcl. *d. l. p. 221.* Neumeyer. *cap. 9.* §. *23. seqq.*

Qu. XIV. *Probata neutralitate, an tamen medius terras suas munire potest?*

℞. Aff. quia posset victoriâ elatus suam partem tollere. Sæpe enim hostes ex vicinorum incuria audaciam sumunt, & occasionem rei benè gerendæ nanciscuntur; cum e contrario munita loca

ad tutandam libertatem & terrorem hosti incutiendum conducant. Oelhaf. *d. l.* §. *70.* Neumayer. *cap. 9.* §. *19.*

CAPVT XI. ap. Grot. XVIII.

De his quæ in bello publico privatim fiunt.

Qu. I. *An in bello publico privatim quid licet?*

Videri poterat, nihil licere, cum & Cato filium suum non nisi sacramento militiæ obligatum in exercitu esse voluerit, existimans, eum alias jure cum hostibus pugnare non posse. Verum quia id non venit ex jure gentium, sed ex singulari disciplina militari Romanorum, ad tractationem Juris naturæ non pertinet. Grot. *III. 18. 1.*

Qu. II. *Quid ergo jure naturali licet?*

℞. In bello justo non tantum militi, sed & *cuilibet belligerantis subdito*, aut alii qui ei adhæret, concessum ea facere, quæ parti innocenti intra justum bellandi modum profutura credit, idque vi denun-

nunciationis & mandati militaris. Grot. *III.3.9.c.4.§.8.c.18.§.3.* Dissent. Hennig. *ad §.1.h.c.*

Qu. III. *Quotuplex est mandatum?*

℞. Duplex vel *Generale*, ubi vel voce Imperantis vel lege etiam jus singulis datur quod hodie fit per *Manifesta* ut vocant, vel *Speciale*, quod habere possunt non tantum hi qui stipendia percipiunt, sed & qui suo sumtu militant, & qui, quod plus est, suis impensis partem belli administrant, ut qui naves instruunt ac sustentant suis impendiis, quibus vice mercedis concedi solet, ut capta sua faciant. Grot. *c.18. §. 1. n.4. & §.2. n.1. ibique* Obrecht.

Qu. IV. *Quousque privatis illæsa justitiâ hoc modo agere licet?*

℞. Justitia respicit aut hostem, aut ipsam civitatem cum qua contrahitur. *Hosti* eripere licet rerum omnium *possessionem*, quæ bellum alere possunt, securitatis causa, sed hoc sub onere reddendi, si pax commoda fiat, & ille aliter pro in-

juria & damnis satisfaciat, ipsum vero *dominium* ad compensationem usque ejus, quod ab initio aut ex causis subnascentibus debetur. Respectu *civitatis* id ipsum licet, si contractui æqualitas insit i. e. si sumtus & pericula tanti sunt, quanti prædæ alea. Quanquam non adeò exactè ad hanc æstimationem respiciendum, quia vita res est inæstimabilis. Unde oportet prædæ inæqualitatem longè modum excedere, antequam ejus ratio habeatur. Grot. *c. 18. §. 2. n. 2. & 3. ibique* van der Muelen. & Tesm. *lit. a.* Kulpis. *Dissert. Academ. 8. de Privat. in host. excursionibus §. 15. seqq.*

Qu. V. *Illæsâ quidem justitiâ, annon tamen in his contra charitatem peccari potest?*

℞. Aff. si appareat, talem deprædationem præcipuè nocituram non hostium universitati, aut regi, aut his qui per se sontes sunt, sed *innocentibus*, & quidem ita, ut eos detrusura sit in summas calamitates. Quod si ad hæc accedat, ut ea deprædatio neque ad *finem belli* imponendum

dum, neque ad hostium publicas vires accidendas aliquid notabile momentum habeat, tum vero probo homine, præsertim christiano indignus censeri debet quæstus ex sola temporum infelicitate. Grot. *d. c. 18.* §. *4.* Fritsch. *Tr. de Peccat. milit. Concl. 41.*

Qu. VI. *An occasione belli publici nasci potest privatum?*

℞. Aff. si quis in hostes incidit & vitæ & rerum adit periculum, quo casu non tenetur intra defensionis terminos tantum subsistere, sed *poterit hostem invadere*, & agere non secus, quam si in prælio contra hostes cum aliis commilitonibus tenderet. Grot. *c. 18.* §. *5. ibique* Hennig. & Obrecht.

Qu. VII. *Ad quæ tenetur miles, vel alius in bello solenni ædificia hostium invadens vel alia damna dans?*

℞. Ad damna resarcienda, si eadem dederit, non jussus aut citra necessitatem, aut ubi justa causa non subfuit. Quod si hæc adfuerit, tenebitur tamen suæ ci-

vitati, cujus leges transgressus est, non item hosti, cui nullam fecit injuriam. Grot. *d. c. 18. §. 6.* van der Muelen *ad §. 4. d. c.*

CAPUT XII. ap. Grot. XIX.
De Fide inter hostes.

Qu. I. *Actum de formâ modoque belli gerendi, an adhuc aliquid restat?*

Aff. scil. quid juris sit, si promissum aliquod ab hoste antecesserit: vel si fidem hostes inter se dederint. Grot. *III. 19. 1.*

Qu. II. *An fides hosti data servanda?*

℞. Aff. quia quoad articulos istos, de quibus cum hoste agitur, dissolutio illa societatis humanæ per bellum facta, velut corrigitur & ad statum societatis reditur, ex quo hostis ut homo sit capax societatis humanæ & acquirendi juris ab altero ex promissione ac data fide in ipsum collati. Grot. *d. c. 19. §. 1. n. 3. ibique* Felde. & Kulpis. *§. 1. lit. y.* Fritsch. *de peccat. milit. Concl. 15.*

Qu. III.

Qu. III. *An fides debetur hostibus quibusvis?*

℞. Aff. & sic non solum illis, qui bello publico tales sunt. Grot. *III. 23. 2.* sed & I. *Tyrannis* seu qui non justo titulo populum invaserunt. II. *Piratis ac latronibus*, quibus cum republ. sua, cujus membra fuerunt, negotium est. conf. *l. 2. c. 11. qu. 19.* III. *Subditis rebellantibus* adversus reges suos aut summos imperantes. IV. *Perfidis*. Omnes enim hi homines sunt, quos saltem quoad *hunc actum* idoneos esse agnoscimus, qui jus aliquod adversus nos sibi acquirere possunt. Et quamvis Respubl. ex dominio eminenti in pœnam jus quæsitum auferre possit, censetur tamen ob promissum, quod illis jus novum confert, pœnam remisisse, ne actus in vanum recidat, & belli nisi per victoriam finiendi spes nulla, Grot. *III. 19. 2. 7. 13. ibique* Ziegl. Tesm. & van der Muelen. Uffelm. *de jure quo hom. homini in serm. oblig. c. 7.* Aliter Puf. *VIII. 8. 2.*

Qu. IV. *Si quid in bello solenni promissum, an exceptione metus rescindi potest?*

℞. Neg. est enim hoc peculiare belli solennis, cum alias nec modus nec finis ei posset imponi, quod tamen fieri generis humani interest. Licet in foro conscientiæ à restitutione non liberetur ille, qui tale quid bello injusto extorsit, nisi novo promissoris consensu injustitia purgetur. Grot. *c. 19. §. 11. ibique* Obrecht. *vid. supr. L. 2. c. 11. qu. 22.* Aliter Puf. *VIII. 8. 1.*

Qu. V. *An omnis metus in bello solenni justus habetur?*

℞. Neg. sed tantum talis, quem jus gentium non improbat. Sic si stupri inferendi metu extortum sit quippiam, aut alio terrore contra datam fidem, ad talem metum jus gentium non porrigitur. Grot. *c. 19. §. 12, ibique* Ziegl. conf. *h. l. c. 4. qu. 18.*

Qu. VI. *An fieri potest, ut sine perfidiæ crimine quis violet promissum?*

℞. Aff.

℟. Aff. & quidem duobus modis, 1. *defectu conditionis*, si alter non impleverit, quod *prius* implere debebat. 2. *per compensationem* rei nostræ æquivalentis, quæ est apud alterum, sive alter ex contractu sive ex delicto aliquid nobis debeat. Grot. *c. 19. §. 14--19. n. 2. ibique* Ziegl.

Qu. VII. *An manente bello compensari potest?*

℟. Neg. sicut enim inter litigantes manente lite compensari nequit, aut actio, de qua res est, aut litis damna & impensæ; ita nec manente bello compensari poterit, aut id unde ortum est bellum, aut quicquid bellico jure Gentium fieri solet. Negotii enim natura, ne nihil actum sit, ostendit, convenisse sepositis belli controversiis, nam alioqui nulla esset pactio, quæ non posset eludi. Grot. *c. 19. §. 19. n. 1. ibique* Gronov. & Obrecht. Puf. *V. 11. 6.*

Qu. VIII. *Inter quas personas fieri debet compensatio?*

℟. Inter eas, quæ invicem sunt creditores

tores & debitores, ne jus tertii cujusquam lædatur. Subditorum tamen bona pro eo quod civitas debet, jure gentium obligata intelliguntur. Grot. *d.* §. *19. n. 3.* Puf. *d. l.* §. *5.*

CAPVT XIII. apud Grot. XX.

De

Fide publica qua bellum finitur, ubi de pacis pactione, de sorte, de certamine condicto, de arbitris, deditione, obsidibus, pignoribus.

Qu. I. *Quotuplex est fides inter hostes?*

DUplex, *expressa* vel *tacita*, illaque *publica* vel *privata*. Publica est *summarum potestatum* aut *inferiorum*. Illa bello finem imponit, aut eo manente vim habet. Fides privata à personis privatis interponitur vel in bello vel extra bellum. Grot. *III. 20. 1.* Uffelm. *de jure quo homo hom. in serm. oblig. c. 6.* §. *2.* & *3.*

Qu. II. *Quænam spectantur in his, quæ bellum finiunt?*

R. *Prin-*

℞. *Principalia* & *accessiones*. Principalia sunt ipsa, quæ bellum finiunt, sive actu suo, ut pactiones, sive ex consensu ad aliud relato, ut sortes, prælii exitus, arbitri pronunciatio, quorum illæ sc. sortes meræ sunt fortuitæ, alia duo casum temperant cum viribus animi aut corporis, ut prælii exitus, aut cum facultate judicante, ut arbitri pronunciatio. Grot. *d. c. 20. §. 1. ibique* Gronov. De Accessionibus agetur infra *qu. 50. seq.*

Qu. III. *Quorum est inire pactiones, quæ bellum utrinque publicum finiunt?*

℞. Eorum quorum est bellum, qui scil. jus habent exercendi summi imperii. Rei enim suæ quisque moderator est. Ergo in statu *vere regio* Regis est, si jus habeat non impeditum. vid. Brunnem. *Tr. de Pace Polit. Diss. 1. th. 8.* In *procerum aut populi imperio* jus paciscendi erit penes majorem partem, illic consilii publici; hic civium sententiæ dicendæ jus habentium. In *statu mixto* eorum erit, quibus leges fundamentales hujus juris exerci-

tium

tium concedunt. Grot. *c. 20. §. 2. 3. 4. ibique* van der Muelen. Textor. *Syn. J. Gent. c. 20. n. 7. seqq.*

Qu. IV. *Cur dicis de rege: si jus habeat non impeditum?*

℞. Quia ejus pactum valere nequit, cujus facultas affecta *impedimento* vel *naturali*, vel *morali*. Illud esse potest judicii immaturitas vel diminutio mentis, hoc regis captivitas aut exilium. Grot. *c. 20. §. 3.*

Qu. V. *An ergo rex infans, captivus vel exul de pace pacisci nequit?*

℞. *Infans* nequit, sed ejus nomine illi tractabunt pacem, qui personam ejus sustinent. Rex *captivus* habet vel regnum ex consensu populi, vel patrimoniale aut bona privata. De illis, quod pepigit, nihil valet, quia non est credibile à populo imperium delatum ea lege, ut à non libero exerceri possit. Ergo hoc casu exercitio ejus & quasi tutela erit penes populum, aut eum cui id populus commisit. De his, cessante hodie usu

ser-

servitutis, valet. Rex *Exul* aut ex delicto jus regni amisit, aut retinuit injustis de caussis in exilium pulsus. Priori casu jus pacis non habet, posteriori vero habet Grot. *d.* §.*3. ibique* van der Muelen. Textor. *d. l. n. 14. seqq.* vid. Observ. Halens. *Tom. V. O. 12.*

Qu. VI. *Quanam res pactioni pacis subjacent?*

℞. Res tam *publicæ* quam *privatæ. Illæ* quidem, regnum ipsum, aut partes regni, ejusve bona coronæ; quæ pacis caussa transscribi possunt in alios, si regnum *patrimoniale* à Rege solo, *si non patrimoniale* à rege accedente populi, aut etiam specialiter partis alienandæ consensu. *Hæ* quæ sunt subditorum, dicto modo transscribi possunt vi dominii eminentis, sed tamen, ut, si fieri possit, à civitate his damnum, quod propter alios sentiunt, resarciatur, quia damnum hoc non ex jure belli venit, sed cives ut socios contingit, quod commune esse vult æquitas. Grot. *c. 20.* §.*5 -- 10.* Puf. *VIII. 8. 3.* Textor. *d. l. n. 22. seqq.*

Brunn,

Brunn. *d. Tr. Diss. 7. th. 11. & 13.* vid. *L. 2. c. 6. qu. 6. seqq.*

Qu. VII. *Ergone Princeps pacem faciendo cum hostibus, subditorum damna & injurias tempore belli illatas remittere potest?*

℞. Aff. favore pacis si aliter haberi non possit, ita ut hoc casu nec civitatem ad sarciendum hoc damnum obligatam esse his quibus accidit putet. Ziegl. *de Jur. Maj. L. 1. c. 40. §. 5.* cum pro mero casu id reputandum videatur, secus ac sentit. Burger. *Cent. 1. O. 20.*

Qu. VIII. *An successores obligantur ex promisso regis?*

℞. Aff. quatenus obligandi potestas sub imperio comprehensa est. Burger. *Cent. 1. O. 85.* Brunn. *d. Tr. Diss. 9. th. 1.* vid. *L. 2. c. 14. qu. 12. sqq.*

Qu. IX. *Quomodo pacis conditiones interpretandæ?*

℞. Juxta regulas de interpretatione supra propositas *L. 2. c. 16.* Hic generalem hanc constituit. Grotius §. 11. *Quo quid plus habet favoris, eo laxius accipiendum,* quo

quo longius abit, eo restrictius. Præsumitur enim ab æquitate naturali quam minimum recedere voluisse pacis autores. Brunn. *d. Tr. Diss. 9. th. 14. seq.*

Qu. X. *Quænam exempla in re præsenti afferuntur?*

℟. Ut in ambiguis is qui justa arma habuit, id consequatur, *ob quæ arma sumpsit*, & damna sumtusque recuperet, non item ut *vindictæ nomine* quicquam lucretur, quia id est odiosum. Grot. §. *11.*

Qu. XI. *Cum vero ad pacem veniri vix soleat injuriæ confessione, quænam in pactis sumenda est interpretatio?*

℟. Ea quæ partes quoad belli justitiam quam maxime æquat, quod fieri potest duobus modis, aut ut *possessio bello turbata restituatur* in eum statum, in quo fuit ante bellum, aut ut *res maneant quo sunt loco*, quod posterius in dubio magis præsumitur. Grot. *c. 20. §. 11. 12. 13.* Burger. *Cent. 1. O. 84.*

Qu. XII. *Quid si de damnis nihil convenerit?*

℞. Tunc omni pace id actum censeri debet, ut quæ bello data sunt damna, eorum nomine actio non sit, quia justè illata censentur, cujus nomine nulla potest actio moveri. Quod de damnis etiam *privatim à militibus hostis nostri* acceptis intelligendum est, sunt enim & hæc belli effecta, & in dubio ita censentur voluisse contrahere bellantes, ut neuter injustitiæ damnaretur. Grot. *d. c. 20. §. 15. ibique* van der Muelen.

Qu. XIII. *An quæ privatis belli tempore deberi cœperunt censentur remissa?*

℞. Neg. nam hæc non belli jure quæsita sunt, sed bello tantum exigi vetita. Itaque sublato impedimento vim suam retinent. Grot. *c. 20. §. 16. ibique* Ziegl.

Qu. XIV. *Cur jus, quod ante bellum fuit, nemini facile ademptum censetur?*

℞. Hanc ob causam maximè, ut sua tenerentur, ideo etiam respubl. civitatesque constitutæ sunt. Quod tamen de eo jure intelligendum, quod *ex rerum in-*

inæqualitate naſcitur, non de jure *ad pœnas.* Nam id jus, quatenus *inter ipſos reges aut populos* verſatur, remiſſum ideo cenſeri debet, ne pax non ſatis pax ſit, ſi veteres cauſas ad bellum relinquat; quatenus autem *privatis* ante bellum competit, quia ſine bello judiciis expediri poteſt, non quidem remiſſum cenſetur, attamen quia non ita noſtrum eſt, ut quod ex vera inæqualitate naſcitur, & pœnæ ſemper aliquid odii habent, levis verborum conjectura ſufficit, ut hoc quoque donatum intelligatur. Grot. §. *16. 17. 18.*

Qu. XV. *An nunquam jus, quod ex inæqualitate naſcitur, remiſſum cenſetur?*

℞. Jus *privatorum* nunquam, facilius autem jus *regum aut populorum*, ſi modo verba aut conjecturæ non improbabiles ſuppetant, maximè vero ſi jus, de quo agitur, non liquidum erat, ſed controverſum. Cavendum enim, ne belli ſemina relinquantur. Grot. §. *19.*

Qu. XVI. *Quid ſi poſt perfectas pactiones capta quædam ſint?*

℞. Reddenda ea esse satis constat, jus enim belli jam sublatum erat. Grot. §. *20.*

Qu. XVII. *Quomodo interpretandæ pactiones de reddendis his, quæ bello capta sunt?*

℞. Latius interpretandæ pactiones quæ *mutuæ* sunt, quam quæ *claudicant.* Deinde, quæ de *hominibus* agunt plus favoris habent, quam quæ *de rebus*, & inter eas quæ de rebus, hæ, quæ de *agris* plus, quam quæ de rebus *mobilibus*, & de his quæ penes *publicum* sunt plus, quam quæ penes *privatos*, plus illæ quæ reddi jubent *lucrativo* titulo possessa, quam quæ *onerosо* tenentur. Grot. §. *21.*

Qu. XVIII. *De quibus aliis rebus pacis conditiones interpretandæ?*

℞. 1. De fructibus, 2. nominibus regionum, 3. relatione ad pactum antecedens, 4. de faciendo, de quibus omnibus plena manu agit. Grot. *c. 20.* §. *22. 23. 25. ibique* Hennig.

Qu. XIX.

Qu. XIX. *An mora purgatio intra breve tempus admittitur?*

℞. Neg. nisi improvisa necessitas impedimento fuerit. Grot. §. *25. ibique* van der Muelen.

Qu. XX. *Quomodo interpretatio facienda, si pacti sensus dubius?*

℞. Contra eum, qui conditiones elocutus est, nam is sibi imputet, quod non apertius locutus. Grot. §. *26.* vid. supr. *L. 2. c. 16. qu. ult.*

Qu. XXI. *Quid si pars aliqua in justa pacis interpretatione non acquiescat?*

℞. Ruptæ pacis accusatur, quæ *ruptura* est dolosa ejus quod fieri debebat omissio, vel ejus quod fieri non debebat commissio. Brunn. *Tr. de Pace Polit. Diss. 12. th. 1. lit. a.*

Qu. XXII. *Num differunt pacem rumpere & novam causam bello præbere?*

℞. Aff. ibi enim ex *veteri*, hic ex *nova* causa fit offensio, quod magnum usum

habet, tum ad committendam pœnam a peccante, tum ad liberandam in cæteris fidem ejus in quam peccatum est. Grot. *c.* 20. §. 27. *ibique* Hennig. Brunn. *d. l. lit. b.* Textor. *c.* 22. *n.* 17. & 18.

Qu. XXIII. *Quot modis rumpitur pax?*

℞. Tribus modis 1. faciendo contra id, quod *omni paci inest* 2. quod *in pace dictum est apertè* 3. quod intelligi debet *ex pacis cujusque natura speciali.* Grot. *d.* §. 27.

Qu. XXIV. *Quando rumpitur pax faciendo contra primum modum?*

℞. Si vis bellica inferatur citra novam causam, quod variè considerari potest, vel ratione *inferentium*, si socii vel subditi fuerunt, vel ratione *eorum, quibus infertur.* Grot. §. 28. Kulpis. *b. c. th.* 3.

Qu. XXV. *Quomodo à parte inferentium vis illata solvit pacem?*

℞. Si *socii* arma moveant, & *manifestè* cautum sit, uno pacem frangente fra-

ctam

ctam pro omnibus haberi, nam in dubio pax facta ita credi non debet, quia enorme est & communi facientium voto non congruum: ergo pacis ruptæ saltem tenebuntur vim inferentes, non illi, qui vim nullam intulerunt, aut non adjuvarunt. Si *subditi* quid fecerunt, à civitate demum pax rupta erit, si factum privatorum probaverit, cujus tria requisita 1. *Imperantium scientia*, 2. *puniendi potestas* & 3. *neglectus*, quæ omnia ex factis manifestis, præsumtione & temporis lapsu probantur. Grot. §. *29. & 30. ibique* van der Muelen.

Qu. XXVI. *Quid si subditi non per se, sed aliorum auspiciis militent?*

℞. Si non *publico consilio* militent, pax rupta non erit, secus si probabilibus argumentis contrarium appareat. Grot. §. *31. ibique* Hennig. Brun. *d. l. th. 3. in f.*

Qu. XXVII. *Quando vis armata à parte illorum, quibus infertur, pacem rumpit?*

℞. Si non modo toti corpori civita-

tis, sed & subditis *sine nova causa* vis infertur. Nam ut omnes subditi tuti sint, pax initur: est enim pax actus civitatis pro toto & pro partibus. Grot. §. 32. *ibique* van der Muelen.

Qu. XXVIII. *Si nova causa subsit, an se licet defendere?*

℞. Per pacem licet se suosque *defendere*, id enim naturale est: arma armis repellere, cui renuntiatum non præsumitur. *Ulcisci* tamen, aut ablata per vim recuperare non licet, nisi postquam judicium fuerit negatum, aut sunt piratæ in quos judicium postulari non potest, quia sunt instar deditorum, quos justa ultione prosequi possum. At alios innocentes eo nomine armis impetere, est contra pacem. Grot. §. 32. *ibique* van der Muelen.

Qu. XXIX. *Quid si vis inferatur sociis?*

℞. Etiam his, sive sint in pace comprehensi sive non *vid. supr. L. 2. c. 16. qu. 17.* vis illata pacem rumpit, licet ipsi non pepigerint sed alii pro ipsis, postquam satis

ſatis conſtat eos pacem ratam habuiſſe. *Cognatorum* vero & *affinium*, qui nec ſubditi ſunt, nec in pace nominati, ſeparata ratio eſt, nec ad pacem ruptam vis in eos trahi poteſt, licet eo nomine ex nova cauſa bellum ſuſcipi poſſit. Grot. §. 33. *ibique* Henniges & van der Muelen.

Qu. XXX. *Quomodo pax rumpitur faciendo contra id, quod in pace dictum?*

℞. Si quid faciamus vel omittamus, quod omitti vel fieri pax conventa volebat, ſine diſcrimine capitum majoris vel minoris momenti. Sed quo magis paci caveatur, conſultum erit, ut capitibus minoris momenti adjiciatur, ut ſi quid adverſus ea factum fuerit, pax tamen non rupta cenſeatur, ſed ut ad arbitros prius provocetur, quam arma inferantur. Quod omnino actum videtur, ſi *pœna ſit adjecta* contra rumpentem, quæ hoc caſu potius commiſſa cenſetur, quam à tranſactione recedatur. Niſi *electio* relicta ei, cui injuria facta, pœnam malit, an à

 trans-

transactione recedere Grot. *c. 20.* §. *34. 35. 36.* Burger. *Cent. I, O. 86.*

Qu. XXXI. *Quid si necessitate pars aliqua impediatur promissum implere?*

℞. Pax non censetur rupta, quia culpa nulla huic imputari potest, ut si res perierit, aut factum redditum aliquo eventu impossibile. Alter tamen *optabit* an expectare malit, si qua spes sit promissum impleri posse, an æstimationem accipere, an mutuis præstationibus, isti capiti respondentibus aut æquum valentibus, liberari. Grot. §. *37.* Brunn. *d. Tr. Diss. 12. th. 2. in f.*

Qu. XXXII. *An post læsam fidem innocens pacem servare potest?*

℞. Aff. quia contra obligationem faciendo nemo se obligatione eximit. Econtrario illud etiam constat, pacem non rumpere, qui pactis simpliciter factis *posterior non stat*, quia non tenebatur, nisi sub conditione. Grot. §. *36.* & *38.*

Qu. XXXIII.

Qu. XXXIII. *Quomodo pax rumpitur faciendo contra id, quod specialis pacis naturæ repugnat?*

℞. Si quid contra amicitiam committitur, sub cujus lege pax contracta est, ut tamen, quantum fieri potest, facto detrahatur invidia. Grot. §. *39. & 40. ibique* Tesm. Burger. *Cent. 2. O. 82.*

Qu. XXXIV. *Quando quid pugnare non videtur cum amicitia?*

℞. Si personæ quamvis conjunctæ aut subditæ facta injuria, ipsi, qui cum pax inita est, facta non censebitur, nisi apertè ad ipsius suggillationem facta sit. Sic adulterium aut stuprum libidini potius quam inimicitiæ imputabitur, si sit formosa quæ stuprum patitur, secus si non, aut vetula. Grot. §. *40. n. 2.* vid. Textor. *c. 22. n. 15. 16.*

Qu. XXXV. *Quinam ergo sunt actus, qui rumpere præsumuntur pacem amicitiæ causa contractam?*

℞. Atroces minæ nulla nova causa præcedente, arces in finibus structæ non tuendi sed nocendi causa, insolita copiarum

rum conſcriptio, ſi juſtis ſatis indiciis appareat, in non alium hæc, quam in eum qui cum pax facta eſt, comparari Grot. §. *40. n. 3.*

Qu. XXXVI. *An contra amicitiam eſt, recipere migrantes ſubditos aut exules?*

℞. *Neg.* ſi ſinguli fuerint, niſi ex *ſpeciali* ſacramento aut aliter debeant miniſterium. *Aff.* ſi oppida aut magni cœtus, qui civitatis partem integrantem faciunt. Grot. §. *41. ibique* van der Muelen. Diſſent. Henniges.

Qu. XXXVII. *An ſorti exitum belli committere licet?*

℞. Non ſemper, nam ad ſubditos tuendos rectores arctius obligantur, quam ut omittere poſſint ea, quæ ad tutelam naturaliter requiruntur. Ergo tum demum ſors eſt permiſſa, cum de re agitur, in quam plenum habemus dominium Grot. §. *42. ibique* Teſm. Diſſent *ibi* Ziegl. & Hennig.

Qu. XXXVIII. *An fato totius civitatis rectè paucis committuntur prælia?*

℞. Si

℟. Si nulla spes boni eventus sit, quando viribus totius civitatis certaretur, tanquam è *malis minimum*, admittente hoste, ejusmodi singularis pugna rectè suscipitur, quia quod licet toti exercitui, nefas esse non potest singulis in actu bellico Osiand. *ad* §. *43. h. c. Q. 1. 2. & 3.* & Henniges *ibi.* Budd. *Sel. Jur. Nat. & Gent. Ex ult.* §. *21. seqq.* Voet. *de duell. c. 10.* conf. *L. 2. c. 23. qu. 17.* Aliter Grot. *h. c.* §. *43.* & Becm. *Pol. Paral. c. 22.* §. *3.*

Qu. XXXIX. *Quid ad hoc requiritur, ut controversia in eventum pugnæ conjiciatur?*

℟. Consensus ejus qui belli pacisque jus & arbitrium habet. Unde *solius regis*, qui hoc jus habet, etiam in *non patrimoniali* regno consensus sufficit, fitque alienatio hic tanquam in re dubia per accidens, velut cæteræ belli calamitates contingunt, aut ut vasallus quandoque per transactionem alienat. Alias in non patrimoniali regno requiritur & populi & eorum consensus, qui nati jus ad successionem habent, jus enim suum quis-

que

que adimere potest, non autem alterius sine ejus consensu. van der Muelen & Hennig. *h. t.* §. 44. Aliter Grot. *d.* §. 44. Puf. *VIII.* 8. 5.

Qu. XL. *Quis in tali prælio pro victore habendus?*

℟. Ille victor erit qui adversarium occidit, aut ita debilitavit & oppressit, ut victum se ipse fateatur. Quod si inter integros exercitus res geratur, spolia legere, ad sepulturam corpora concedere, in loco pugnæ pernoctare, per se victoriam non probant, nisi alia indicia concurrunt, ad docendam hostium fugam. Grot. §. 45. Puf. *d. l.* vid. *Dissert. nostra de Signis victoriar. belli.*

Qu. XLI. *Quid si non sint firma victoriæ signa?*

℟. Res manet eo loco, quo ante prælium fuit; & aut ad bellum, aut ad novas pactiones veniendum est. Grot. §. 45. *n.* 3.

Qu. XLII. *Quot sunt genera arbitrorum, quorum judicio bellum finitur?*

℟. Duo: *unum* ejusmodi, ut sive

æquum

æquum sive iniquum pronuntient, parere debeamus, quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrum itum est *supr. L. 2. c. 23. qu. 15. alterum* ejusmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi, debeat. Utrovis modo arbiter sumi potest, magis tamen in priori sensu *Arbiter*, in posteriori *Conciliator* vel *Mediator* intelligitur Grot. §. *46.* Puf. *V. 13. 7.* Zentgrav. *de Orig. J. Gent. Art. 3. §. 20. seq.* add. *Diss. nostra de Arbitr. & Mediator. belligerantium.*

Qu. XLIII. *De quo genere arbitrorum hic agitur?*

℟. De eo cujus dicto parendum omnino est Grot. §. *46. n. 1.* De officio Mediatorum agit Coccej. *diss. de jure & officio Mediat. pacis.*

Qu. XLIV. *An à tali arbitrio provocare licet?*

℟. Neg. nulla enim hic est potestas superior, quæ promissi vinculum aut impediat aut solvat. Standum ergo omnino sententiæ arbitri sive æqua sive iniqua. Nisi manifeste appareat, ipsum

cum una parte in alterius perniciem collusisse, tunc enim ejus sententia non stringet, quia qui apertè ad alterutram partem se applicat, arbitri personam gerere amplius non potest. Grot. §. *46. n. 2.* Puf. *d. l.* §. *4. inf.*

Qu. XLV. *Quodnam in arbitri officio spectandum?*

℞. Aut electus est in vicem *judicis*, aut cum *laxiore quadam potestate. Priori* casu cogitur præcisè secundum legem judicare; *posteriori* sententiam suam non tam ad jus strictum, quam ad æquitatem & humanitatem attemperare potest. *In dubio* præsumitur ad regulas judicii sequendas obligatus, quia ob defectum fori & judicis ille sumtus est. Grot. §. 47. Puf. *d. l.* §. *5.* Brunn. *de Pace Polit. Diss. 3. th. 8. & 9. & Diss. 6. th. 5. seqq. d. Diss. nostra* §. *20. seqq.*

Qu. XLVI. *An ejus est pronuntiare de possessione?*

℞. Neg. sed de re principali pronuntiandum, quia judicia possessoria juris civilis sunt, jure gentium autem jus possidendi do-

di dominium sequitur. Ideoque dum causa cognoscitur, nihil est innovandum, & petitore non probante, secundum possessorem pronuntiandum. Grot. §. *48. ibique* Tesm. Puf. *d. l.* §. *6.*

Qu. XLVII. *Daturne adhuc aliud genus arbitri?*

℞. Aff. cum quis ipsi hosti *de se arbitrium* permittit, quæ est *deditio pura* subditum faciens eum, qui se dedit, ei vero cui fit deditio, summam deferens potestatem, quo quidem casu victor *ex rigore gentium* jus suum ad mortem usque extendere potest, sed ne quid *injuste* faciat, spectandum, ne quem occidat, nisi id suo facinore meritum, & ne cui quicquam auferat, nisi in justam pœnam. Intra hunc autem modum, quantum securitas patitur, ad clementiam & liberalitatem propendere semper *honestum* est, interdum pro circumstantiis, etiam ex morum regula *necessarium.* Si est *deditio conditionalis*, ultra conventionem jus victoris non producitur. Grot. §. *49.*

 50. &

50. & 51. ibique Tesm. vid. Burger. *Cent. 2. O. 84.*

Qu. XLVIII. *Num refert, si dedens dicat: se dedere alicujus sapientiæ?*

℞. Nihil refert an dicat se dedere alterius sapientiæ, an moderationi, an misericordiæ, wenn man sich auf *discretion* ergiebt, auf Gnade und Ungnade; hæc enim omnia blandimenta sunt, res manet, ut victor arbiter fiat. Grot. *§. 50. n. 5.* Burger. *Cent. 1. O. 14.* Brunn. *d. Tr. Diss. 8. th. 3.*

Qu. XLIX *Ad adstringendam fidem in pace, quanam sunt securitates?*

℞. Variæ, quæ nomine *GVARANTIÆ* veniunt seu cautionis pro pace interpositæ vel susceptæ. Et hæc vel *generalis* est ad omnia pacis capita & personas pertinens, vel *specialis*, quæ ad certas tantum causas vel personas restringitur. *Instr. Pac. Osnabr. art. 16. §. 12. & art. 17. §. 5. sqq.*

Qu. L. *Quot modis præstatur Guarantia?*

℞. Com

℞. Communiter *Obsidibus*, *Pignoribus* vel *Verbis* ad instar stipulationis, etiam juratis. De prioribus modis, velut *accessionibus* pactionum hic agit. Grot. §. 52. vid. Coccej. *Diss. de Guarantia pacis.*

Qu. LI. *Quid est Obses?*

℞. *Est persona fidei publicæ servandæ causa Superioris autoritate data*, germ. Gaißel, Pfands-Mann. Schilter. *de jure Obsid. c. 1. n. 3. & 4.* Qui sua autoritate pro pace intercedunt, *Guarandi* vocantur Coccej. *d. l. Sect. 4. §. 1. & 15.*

Qu. LII. *Quomodo dantur obsides?*

℞. Aut sua voluntate, aut ejus qui imperium habet. Hinc obsides alii *suo consensu* alii *inviti* dati. Grot. §. 52. Horn. *de Civit. l. 2. c. 2. §. 17. ibique not.* Tesm. *ad L. 2. c. 15. §. 16. lit. θ.*

Qu. LIII. *Quis dare potest obsidem?*

℞. *Princeps* vi potestatis, quæ in caput dirigitur: in summo enim civili imperio comprehenditur etiam jus in actiones subditorum, ut in bona. *Belli Du-*

ces vi potestatis à Principe acceptæ. Grot. *d. l.* Schilter. *d. Tr. c. 2.*

Qu. LIV. *Qui dari possunt obsides?*

℟. *Subditi* sine discrimine sexus, ætatis, dignitatis, nam dari possunt etiam regum liberi. Et si plures sint subditi, qui dari possunt, danda est opera ut sorte res dirimatur. Non *Vasalli*, nisi simul sint subditi. Grot. *d. l.* Tesm. *ad Gr. L. 3. c. 11. §. 18. lit. K. & L. 3. c. 4. §. 14. lit. c.* Shilter. *cap. 3.*

Qu. LV. *Quis effectus dationis in obsidium?*

℟. Consistit ille in obligatione ejus 1. qui dedit, 2. ejus qui accepit, & 3. dati obsidis.

Qu. LVI. *Ad quid obligatur dans obsidem?*

℟. Ne ab accipiente obsidem datum recipiat prius, quam fides soluta, & ut damnum repenset obsidi aut proximis, quod ex obsidio passus est. Grot. *d. §. 52.* Puf. *VIII. 2. 6.* Schilter. *c. 5.* Dissent. Hennig. *ad §. 52.*

Qu. LVII. *Ad quid accipiens obsidem?*

℟. Ut, quanquam eum quovis modo custodire posſit, tamen quia liber est, eum *liberaliter* custodiat, nec datum in unam causam, *retineat in aliam*, quia odiosa est obsidum obligatio, utpote libertati inimica, & ex facto alieno veniens. Quod si in alia causa, contractu vel delicto, fides data violata sit, retineri potest datus, non ut obses, sed eo gentium jure, quo subditi *ex facto imperantium* detineri possunt per androlepsiam, quod tamen ne fiat, pacto adjecto caveri potest. Grot. §. *54. & 55.* Schilter. *c. 6.*

Qu. LVIII. *An ob fractam fidem obsidem occidere potest?*

℟. Neg. quia nec imperii eminentis tanta vis est, ut directè in vitam civi eripiendam jus alteri dari possit, nec ipse obses in suam vitam eam potestatem habet, ut suo consensu facultatem se interficiendi in alium transferre valeat. Aliud si propria ipsius obsidis culpa accedat. Puf. *VIII. 2--6.* Textor. *c. 18. n. 25. seqq.* Bur-

 ger.

ger. *Cent.* 1. *O.* 83. *p.* 243. *&* *Cent.* 3. *O.* 55. Horn, *d. l. n.* 3. *seq.* Aliter Grot. *b. c.* §. 53. *&* *L.* 3. *c.* 4. §. 14. *L.* 3. *c.* 11. §. 18.

Qu. LIX. *Ad quid ipse obses datus obligatur?*

℞. Obligatur ad hoc ne fugiat, sed manendo intentioni summi imperantis, qui eum tradidit, satisfaciat. Eo mortuo, non ejus heres obligatur, sed civitas alium dare debet. Schilter. *d. l. c.* 7. *n.* 5. *&* 25. Burger. *d. O.* 83. *p.* 242. Budd. *Select. J. Nat. & G. Exerc. ult.* §. 56. Aliter Gr. §. 54.

Qu. LX. *Quid juris mortuo eo, pro quo obses datus, ut eum captivum redimat?*

℞. Liberatur obses, nam in illo, dum moritur, jus pignoris extinctum est. *Rege mortuo*, qui fœdus fecit, adhuc tenetur obses, quia quod rex egit, à populo actum censetur, quod ad successores transitoriam obligationem operatur. Grot. *b. c.* §. 56. *ibique* Muelen. Aliter Grot. §. 57.

Qu. LXI. *Quis status est obsidum durante obsidio?*

℞. Retinent libertatem & civitatem, indeque & testamenti factionem. Schilter *c.8.&9.* Burger. *d. O. p. 239.*

Qu. LXII. *Quæ est ratio pignorum?*

℞. Habent hoc *commune* cum obsidibus, quod ex alio jam debito retinentur, nisi data fides obstet; *proprium*, quod quæ de iis est pactio, non tam stricte sumitur, quam illa de obsidibus, quia odium est inæquale. Grot. §. *59.*

Qu. LXIII. *An pignus perpetuo lui potest?*

℞. Aff. quia potestas luendi pignus ex parte debitoris res meræ facultatis est, cui præscribi non potest, *supr. L. 2. c. 4. qu. ult.* Et cum pignus pro alieno possidetur, nec poterit creditori diuturnum silentium debitoris sufficiens derelictionis argumentum præbere. Ziegl. *ad Grot. h. c.* §. *60.* Aliter Grot. *d.* §. *60.*

CAPUT XIV. ap. Grot. XXI.
De Fide manente bello, ubi de induciis, commeatu, captivorum redemptione.

Qu. I. *Quid intelligendum per commercia, quæ quandoque inter bellum hostibus concedi solent?*

COmmunicationes nihil hostile continentes, sine quibus exulceratæ mentes ad sanitatem vix redire possunt, quales sunt *Induciæ*, *Commeatus*, *Redemtio captivorum* &c. Grot. *III*, 21, 1, Brunn. *de Pace Pol. Diss. 5. th. 4.*

Qu. II. *Quid sunt Induciæ?*

℞. *Induciæ sunt status belligerantium, quo manente bello bellicis actibus ad tempus ex conventione abstinendum est.* Dici etiam solent *Armistitium* ein Stillestand der Waffen. Grot. *b. c.* §. *1. n. 1.* Strauch. *Diss. Academ. de Induciis c. 1.* §. *6.* & *7.* & *c. 3.* Schurtzfleisch. *Oper. Hist. Pol. Tr. 73. de Induciis c. 1. th. 5.* & *6.*

Qu. III. *Quot dantur species Induciarum?*

℞. Variæ, sunt enim pro diversitate *actuum*, à quibus abstinendum est, aliæ *Illimitatæ*, aliæ *restrictæ*, & *temporis ac durationis*, aliæ *Breviores* & aliæ *longiores*. *Breviores* sunt, quæ in horas, paucos dies

dies aut annos ineuntur, subsistentibus tunc exercitibus, retentoque utrinque belli apparatu; *Longiores* vero, quæ in viginti, triginta, quadraginta, etiam centum annos, quibus apparatus bellicus utrinque dissolvitur, propiusque hæ longiores ad pacem accedunt. Grot. *d. §. 1. n. 3. & §. 4. & 10.* Textor. *c. 19. n. 3. & 4.* Ziegl. *de J. Maj. L. 1. c. 39. §. 2.*

Qu. IV. *Num dantur induciæ tacitæ?*

℞. Induciarum tacitarum nomine, vocare solent intermissum hostilitatis exercitium ad aliquod tempus citra pactum. Verum cum intermissio isthæc non contineat *obligationem*, sed partes saltem pro lubitu quiescant, & ad actus bellicos, quandocumque placitum fuerit, procurrere iterum possint, etiam induciarum nomine non venit Puf. *d. l. §. 7.* Ziegl. *d. l. §. 3.* Schurtzfleisch. *d. l. c. 2. §. 4.*

Qu. V. *Qui & quibus dant inducias?*

℞. Dant inducias non solum illi, qui summum habent imperium, sed & vi officii sui belli Duces, etiam inconsultis his,

quorum auspicio bellum geritur, si *breviores* sint. Dant quoque inferiores duces, quibus in bello certæ partes, separatim à reliquo exercitu sunt mandatæ, hac tamen differentia, quod concessas servare teneantur ipsi suæque copiæ, duces vero pares non item. Dantur induciæ *Ducibus hostis*, Reivepublicæ, quæ quoque singulis prosunt. Dantur etiam *rebellibus* subditis. Strauch. *d.l.c.* 2. Textor. *c.* 19. *n.* 3. & 4. Ziegl. *d. l.* §. 5. vid. infr. *c.* 15. *qu.* 14.

Qu. VI. *An aliqua circumspectione & prudentia opus est in concedendis inducis?*

℞. Aff. quia sæpe prætextu illarum *hostilia* & alterutri parti damnosa tentata. Hinc expendendum, an pactis induciis hostis ad pristinam possit redire potentiam, laborandum ut ea lege hosti tuto liceat ire & redire, ne in castra & munitissimas urbes admittatur, *cautiones* idoneæ super conventa capita postulandæ, nec non cogitandum, ut mox *bellum instauretur* & militi de commeatu & necessariis instrumentis bellicis prospiciatur.

tur. Sed & cavendum, ne nullæ datæ induciæ moveant hostem ad desperationem, Schurtzfleisch. *d. l. c. 1. §. 18. & 19. & c. 2, §. 2. & 3.* Burger. *Cent. 2. O. 63. in f.*

Qu. VII. *Finitis induciis, an opus est nova indictione?*

℞. Neg. his enim tanquam impedimento temporali sublatis, ipso jure sese exserit belli status sopitus non mortuus; nisi *pactis* aliter conventum & induciæ fuerint longiores, quo tamen casu adhuc ex eadem causa *repetendi bellum* facultas relicta est, aliter ac si pace facta de novo bellum indicatur Grot. *c. 21. §. 3.* Puf. *d. l. §. 6.* Zouch. *de Jure feciali Sect. 10. qu. 1.*

Qu. VIII. *Quomodo præstitutum tempus induciarum computatur?*

℞. Si tempus est *continuum*, ut in centum dies, ad momenta temporum facienda computatio; si cum *designatione termini*, ut usque ad Calendas Martias, non solum dies ad quem, sed & à quo includitur, quippe initium est pars rei. Et non semper voculæ *à* vis est, discernere eam rem, cui apponitur à sequente, sed

sæpe

ſæpe etiam initium notat in aliqua re comprehenſum. Puf. §. 8. Muelen *ad* §. 4. *b. c.* Textor. *c. 19. n. 22.* Aliter Grot. §. 4.

Qu. IX. *Quando incipiunt induciæ obligare?*

℞. Obligare incipiunt *ipſos contrahentes* ſtatim ex quo contractus abſolutus eſt, *ſubditos utrinque* ex quo ad notitiam eorum per publicationem pervenire potuerunt, ita tamen, ut actus bellici omnes, antequam ad illorum notitiam pervenerint induciæ, omni effectu careant, ſubditi vero à pœna liberentur Grot. §. 5. Brunn. *d. Tr. Diſſ. 5. th. 7.* Schurtzfleiſch. *d. c. 2.* §. 5. Diſſent. Textor. *c. 19. n. 20.*

Qu. X. *Quantum licet per inducias?*

℞. Aut *illimitatæ* aut *reſtrictæ* induciæ ſunt initæ. Si *illæ*, illiciti ſunt induciarum tempore omnes actus bellici, tum in homines, tum in res, ſive dolo ſive aperto marte exerceantur. Hinc regulariter & niſi aliter convenerit ire & redire ultro citroque, eo paratu, qui periculum nullum oſtendit, licet, ſicut & recede-

cedere cum exercitu, item reficere mœnia, milites conscribere &c. Si *hæ* ob specialem conventionem, non licent, quæ alias permissa essent, utpote si tantum sepeliendorum hominum causa datæ induciæ, in cæteris nihil immutandum. Si obsessis datæ, reliqui extra præsidia constituti occidi possunt. Grot. *b. c.* §. *6. 7. 10. ibique* van der Muelen. Strauch. *d. l. c. 4.* §. *2. seqq.* Aliter Puf. §. *10.*

Qu. XI. *An corruptis hostium præsidiis loca invadere licet?*

℞. Loca quæ *ipsi tenebunt*, non licet, quia talis acquisitio non nisi ex jure belli justa est; nec licet subditos deficientes recipere. Loca vero *derelicta* occupare licet. Grot. §. *8.*

Qu. XII. *Si quis hostis ultra condictum induciarum tempus casu detineatur in hostico, postquam exierint induciæ an jus redeundi habet?*

℞. Aff. quia casus, quo impeditus puta adversa valetudo, maris tempestas, nemini imputari potest, quasi contra inducias

cias fecerit. van der Muelen *ad* §. *9. h. c.* Aliter Grot. *d.* §. *9.*

Qu. XIII. *Quid si violentur induciæ?*

℞. Liberum est læso *sine nova indictione* ad arma redire, nam ea conditione illas servare tenemur, si & alter servet: quanquam &, si velit, ad induciarum terminum quiescere possit. Quod si *pœna conventa* eaque petita & soluta sit ab eo qui contrafecit, tunc jus bellandi non erit. Cæterum *privata facta* non violant inducias, nisi imperantium ratihabitio accesserit. Grot. §. *11. 12. 13.* Puf. §. *12.* Brunn. *d. l. th. 9.* Schurtzfl. *d. c. 2.* §. *8.* & *10.*

Qu. XIV. *Quot igitur modis finiuntur induciæ?*

℞. Quatuor: 1. *contraria pactione,* 2. *cessione diei aut temporis in induciis præfiniti,* 3. *absoluto actu, ad quem concessæ,* 4. *violatione.*

Qu. XV. *An extra inducias est jus commeandi seu salvi conductus?*

℞. Neg. sed est privilegium quoddam, quare in ejus interpretatione obser-

servanda sunt, quæ de privilegiis traduntur. Quia vero hoc privilegium neque tertio noxium, neque danti admodum grave, ideo intra verborum proprietatem laxa magis quam ſtricta interpretatio admittenda eſt. Grot. §. *14.* Burger. *Cent. 2. O. 21.*

Qu. XVI. *Quid eſt Salvus Conductus ſeu Commeatus?*

℞. *Eſt juſtum ſeu perfectum immunitatis ob offenſione, damno vel inquietatione præſidium, perſonis vel rebus in genere vel in ſpecie conceſſum,* vulgo Paß-Porte, Geleits-Briefe. Hertius *Opuſc. Tom I. Tr. de Literis commeat. pro pace.* §. *2.*

Qu. XVII. *Si militibus conceſſus, quinam illorum nomine intelliguntur?*

℞. Omnes milites tam *ſummi*, quam *infimi*, quia verbi proprietas admittit eam ſignificationem, quanquam eſt & alia ſtrictior. Grot. §. *15. ibique* Henniges.

Qu. XVIII.

Qu. XVIII. *Quid sub itu concessum intelligitur?*

℞. In *itu* cautum & de *reditu* censetur, ut absurdum vitetur. Et *abitus tutus* intelligendus est, usque dum eo pervenerit quis, ubi in tuto sit. Grot. §. 16. Hertius *d. l.* §. 13.

Qu. XIX. *An cui abire datum, redire potest?*

℞. Neg. nec cui *venire* permissum, *mittere* potest, aut contra: sunt enim hæc diversa, nec extra verba exspatiari ratio cogit, ita tamen ut error à pœna excuset. Sed & cui venire permissum est, *semel veniat non iterum*, nisi temporis adjectio aliam suppeditet conjecturam. Grot. §. 16. Hert. *d. l.* §. 15.

Qu. XX. *An commeatus patris prodest filio, mariti uxori?*

℞. Non aliter, quam si concessa itio habitandi causa; nam morari solemus cum familia, peregrinari sine ea. *Famulus* tamen unus vel alter, etiamsi expressus non sit, comprehensus censebitur in eo, quem sine tali comitatu ire indeco-

decorum foret, nam qui aliquid concedit, concedit quæ moraliter necessario sequuntur. Grot. §. 17. Hertius *d. l.* §. 11.

Qu. XXI. *An ad bona extenditur?*

R. Non ad omnia, sed quæ solita sunt ad iter assumi, vulgo *Bagage*. Grot. §. 18. Hert. §. 12.

Qu. XXII. *Expresso comitum nomine qui intelliguntur?*

R. Non hi, quorum causa magis est odiosa, quam ipsius cui prospicitur, quales sunt piratæ, latrones, transfugæ &c. *Gentis* nomen expressum in comitibus satis ostendit, facultatem ad alios non porrigi. Grot. *h. c.* §. 19.

Qu. XXIII. *An morte concedentis extinguitur jus commeandi?*

R. Neg. quia hæc concessio venit ex vi potestatis, quæ regulariter in successores transit. Nisi ad *beneplacitum* dantis sit concessum. *L. 4. ff. Locati.* Grot. §. 20. & 21. *ibique* van der Muelen.

Qu. XXIV. *Quid si violetur salvus conductus?*

R. Morte multandus qui occidit ejus-

 modi

modi securitate munitum, aut arbitrariè puniendus, si aliter læsit. Modo assecuratus per salvum conductum per viam usitatam suscipiat iter, & non in terra hostili aliquid hostiliter attentet, Burger. *Cent. 1. O. 80.*

Qu. XXV. *An leges captivorum redemptionem prohibentes justæ sunt?*

℞. Neg. ita enim multi innocentissimi & fortissimi viri sæpius præter culpam in servitutem duci possent, ut patria nullum ex illis emolumentum percipere valeat. Nisi appareat opus tali rigore, ut majora aut plura mala alioqui moraliter inevitabilia, caveantur, tunc enim talem sortem patienter ferant. Grot. §. *23.* & *24.*

Qu. XXVI. *Quibus est jus exigendi redemptionis pretium?*

℞. Illis quibus captivi cedunt, qui sunt, quorum auspiciis bellum geritur, aut qui ex horum voluntate captivos suos faciunt Hertius *in Opusc. Tom. 1. Comm.* *de Ly-*

de Lytro Sect. 2. §. 2. *seq.* conf. *supr.* L. 3. c. 7. *qu.* 9.

Qu. XXVII. *An hoc jus in alium transscribi potest?*

℞. Aff. nam & *incorporalia* alienari patitur natura, ut & cessionarius majus pretium exigere queat, quam dedit, quia pactum inter cedentem & cessionarium ad captivum non pertinet, nec ei jus inde quæritur Grot. §. 25. Hert. *de Lytro Sect.* 2. §. 4.

Qu. XXVIII. *An redemptionis pretium ab uno pluribus potest deberi?*

℞. Aff. si ab uno dimissus, pretio nondum soluto, captus sit ab alio, sunt enim diversa hæc debita ex diversis causis Grot. §. 26. Hert. *d.* §. 2. §. 5. 6. 7.

Qu. XXIX. *Quinam promittant lytrum?*

℞. Alii *sponte*, ut captivi, alii *ex juris necessitate* ut filius pro patre captivo, socius pro socio societatis causa capto Hert. *d. l.* §. 9. *seqq.*

Qu. XXX. *An conventio de pretio facta rescindi potest, eo quod captivus locupletior, quam credebatur?*

℟. Neg. quia jure gentium nemo cogitur supplere, quod minus æquo pretio in contractu promisit, si dolus non intercessit, nec causam contractui dedit. Grot. §. 27. Burger. *Cent. 1. O. 30.*

Qu. XXXI. *An ex pecunia quam secum clam habet se redimere potest captivus?*

℟. Aff. quia qui agit cum captivo, ut se liberet, in pretio, quod stipulatur, se contentum fore declarat, ut adeo eo ipso momento possessionem rerum, quas cum persona nactus erat, amisisse videatur. Grot. §. 28. Hert. *d. S.* 2. §. 30. Dissent. Ziegl. *d.* §. 28.

Qu. XXXII. *An pretium conventum & ante mortem non solutum ab herede debetur?*

℟. Aut captivus in captivitate est mortuus, aut extra eam cum in libertate esset. *Priori casu* pretium non debetur, quia promissioni inerat conditio: *si liberaretur,*

tur, mortuus autem non liberatur; nisi convenerit, ut ab ipso contractus momento *purè* debeatur pretium & captivus tantum retineatur, non jam ut jure belli captus, sed ut à se oppignoratus. *Posteriori casu* debetur, jam enim lucratus erat id, pro quo promissum est pretium Grot. §. *29*. Hert. *d. Sect.* §. *29*. Bœcl. *Diss. de milite captivo p. 155. seq.*

Qu. XXXIII. *An dimissus, ut alterum liberet, redire debet in carcerem, si mortuus ille antequam liberaretur?*

℞. Neg. hoc enim conventum non est, nec intelligitur actum tacitè favore libertatis. Præstabit tamen dimissus *æstimationem* ejus quod præstare non potest, ne cum damno dimittentis lucrifaciat libertatem. Grot. §. *30*. Hert. *d. l.* §. *31*.

CAPVT XV. apud Grot. XXII.

De

Fide minorum potestatum in bello.

Qu. I. *Quales sunt conventiones à minoribus potestatibus initæ?*

PUblicæ, cum publicam sustineant personam sibi à superioribus impositam, qui hinc quicquid *nomine officii sui vel dignitatis* agunt, publico nomine egisse videntur. Grot. *III. 22. 1.*

Qu. II. *Quænam sunt minores potestates in bello?*

℞. Sunt omnes quorum potestas pendet ab eo, cujus auspiciis bellum geritur, sive sint summis proximi, quales sunt Duces excellenter dicti, sive longius remoti. Grot. *d. l.*

Qu. III. *Quot modis possunt considerari horum promissa?*

℞. Duobus, nam aut hoc quæritur, an *summam potestatem* obligent, aut an *se ipsos*. Grot. *h. c.* §. *2.*

Qu. IV. *Quando obligant summam potestatem?*

℞. Quando faciunt id, quod *probabiliter ipsorum officio contineri* censetur, vel etiam extra illud *ex speciali præpositione* nota publicè, aut iis quorum res agi-

agitur. Poteſt etiam contingere, ut miniſtrorum bellicorum factum non cauſa ſed *occaſio* ſit obligationis ſummæ poteſtatis, puta quando hujus conſenſus accedit, *ratihabitione* vel expreſſa vel tacita; aut *re ipſa* naſcatur obligatio, quatenus locupletior factus ſit ex ipſorum facto. Grot. *h. c.* §. 2. & 3. Burger. *Cent.* 2. *O.* 10.

Qu. V. *Quid ſi ſummæ poteſtates pacta horum improbent, & tamen retineant, quod ſine pacto non haberent?*

℞. Ab injuſtitia excuſari non poſſunt, quia hæc ſeparari non poſſunt, emolumentum trahere & onus ferre. Grot. *d.* §. 3. *inf.*

Qu. VI. *Si quid factum ſit contra mandatum?*

℞. Obligatur qui præpoſuit, ſi præpoſitus fecit contra *mandata arcana*, intra limites tamen publicæ functionis. Grot. *h. c.* §. 4. conf. *L.* 2. *c.* 11. *qu.* 30.

Qu. VII. *An ſequi debemus conditiones in mandato comprehenſas?*

℞. Aff. nam ſi quis *ſub certa lege* vel in-

interventu cujusdam personæ contrahi voluit, æquissimum erit id servari in quo præpositus est. Cui consequens est, ut alii reges aut populi magis, alii minus ex ducum suorum contractibus teneri possint, si satis notæ sint ipsorum leges ac instituta. *Sin minus*, concessum intelligitur id, *sine quo* satis commodè quæ officii sunt expediri non possunt. Grot. §. 4. *ibique* Ziegl.

Qu. VIII. *Si minor potestas limites publicæ functionis excesserit?*

℞. Tenebitur ipsa, si quod promisit, præstare non potest, ad æstimationem, nisi lex aliqua satis cognita id quoque impediat. Quod si *dolus* accesserit i. e. præ se tulerit jus majus quam habebat, *de damno* tenebitur, imo & *de crimine* ad pœnam crimini respondentem Grot. §. 4.

Qu. IX. *Quid si Præfectus castri vel urbis ad extrema obligatus?*

℞. Mandati fines non excedit, nec pœnam incurrit, si passus extrema dedat arcem vel urbem, ut conservet populi salutem, quæ suprema lex est Burger.

Cent.

Cent. 1. *O.* 10. & 13. Bœcl. *Diss. de Milite captivo p.* 177. *seq.*

Qu. X. *An is semper obligatur, qui cum minore potestate contraxit?*

℞. Aff. quia semper aut summa potestas obligatur, aut minister ejus, ideo & certum est partem alteram obligari, nec dici posse claudicare contractum Grot. §. 5.

Qu. XI. *Quid in inferiores possunt belli duces?*

℞. Non dubitandum, quin Dux milites, magistratus oppidanos obliget intra eos actus, qui solent ab ipsis imperari, e. gr. ut portas aperiant duci, ut dent militi commeatum & similia, nam alioqui semper opus esset consensu speciali Grot. §. 6.

Qu. XII. *An econtrario ducis pactum prodest inferioribus?*

℞. Aff. in *mere utilibus* id enim in potestate satis comprehenditur; in his quæ *onus annexum habent* etiam, scilicet intra ea, quæ imperari solent, extra ea si acceptaverint. Grot. §. 6.

Qu. XIII. *An Ducum est pacem facere?*

℞. Neg. bellum enim finire non est pars belli gerendi, etsi cum maxima potestate sint præpositi, ea enim de *belli ductu* intelligenda erit Grot. §. 7. Brunn. *de Pace. Polit. Diss. 1. th. 5.*

Qu. XIV. *An eorum est dare inducias?*

℞. Aff. sed *breviores* in horas aut dies aliquot, non *longiores* in menses aut annos porrectas, has enim dare est solius Majestatis, quia paci quodammodo accedunt. Grot. §. 8. *ibique* Ziegl. Puf. *VIII*, 7. 15. Brunnem. *d. l. Diss. 5. th. 3.* supra *h. l. c. 14. qu. 5.*

Qu. XV. *An homines, imperia, agros concedere possunt?*

℞. Neg. si *jam quæsita* sunt bello, quia pertinent ad eum, ad quem bellum; *quærenda* vero condonare possunt, quia oppida pleraque & homines sæpe in bello dedunt se sub conditione vitæ salvæ, libertatis ac bonorum de quibus arbitrium

sum-

ſummæ poteſtatis exquiri res plerumque non patitur. Grot. §. *9. ibique* Teſm.

Qu. XVI. *Hæc ducum pacta quomodo interpretanda?*

℟. Strictè quatenus patitur natura contractus, ne ex ipſorum facto ſumma poteſtas plus, quam vellet, obligetur: aut ipſi damnum ſubeant officium faciendo. Grot. §. *10*.

Qu. XVII. *Quomodo deditio interpretanda à duce accepta?*

℟. Ut in deditionem puram cenſeatur acceptus eo jure, ut de eo arbitrium ſit victoris, regis aut populi. Grot. §. *11*.

Qu. XVIII. *Quomodo clauſula: ſi regi aut populo viſum?*

℟. Hæc efficiet, ut ratihabitione non ſecuta dux ipſe in nihil teneatur, niſi ſi qua locupletior factus ſit. Grot. §. *12*.

Qu. XIX. *Quomodo promiſſio de oppido tradendo?*

℟. Ut promittentes dimittere poſſint præſidium, & oppidum tradere Grot. §. *13*.

CAPUT

CAPUT XVI. apud Grot. XXIII.

De Fide privata in bello.

Qu. I. *An miles gregarius æque ac Dux exercitus fidem suam adstringere potest hosti?*

Aff. quia ille quoque jura privata habet, quæ obligare potest, & hostes capaces sunt juris acquirendi; alias nisi fidem servent milites aliique privati, dabitur occasio cædibus & impedimentum libertati Grot. *III. 23. 1.*

Qu. II. *An excipiendus minor?*

℞. Neg. si actum intelligat, nam quæ minoribus consulunt beneficia, ex jure civili informantur Grot. §. *3.* Kulpis. *h. c. th. 1. lit. d.* Ziegl. §. *3.*

Qu. III. *Quousque vero se extendit privatorum in paciscendo potestas?*

℞. Difficilior est hujus inspectio, quia quod *publicum* est, â Duce belli alienari non potest, nedum â privato, & pacta *de privatorum actionibus & rebus* videntur illis illicita ob belli indictionem & eminens

nens civitatis dominium in rebus illorum, militibus autem conductis ob fidem sacramento datam; attamen ubi *summa ingruit necessitas*, ea pacta quæ majus malum aut certius evitant, magis utilia quam damnosa etiam *publico* censeri debent, & consensu civitatis approbari videntur. Grot. §. 5.

Qu. IV. *An non lex adimere potest subditis hanc potestatem?*

℞. Aff. sive illi perpetui sive temporarii fuerint: sed nec lex hoc *semper* facit, parcit enim civibus, neque *semper* facere potest. Nam leges humanæ tum demum vim obligandi habent, si latæ sint *ad humanum modum*, non si onus injungant, quod à ratione & natura planè abhorret. Grot. §. 5. *n.* 3.

Qu. V. *Quid si leges tale quid apertè præseferant?*

℞. Si *speciales* sint, pro legibus haberi non debent, si *generales*, interpretatione benigna ita accipiendæ sunt, ut casus summæ necessitatis excludatur. Grot. *d. n.* 3.

Qu. VI.

Qu. VI. *Quid si actus qui lege aut praecepto interdictus erat & valere vetitus, interdici aequo jure potuit?*

℞. Jam *irritus* erit actus privati & *puniri* poterit, quia promisit id, quod sui juris non erat, maximè si contra juramentum hoc fecit Grot. §.5.n.4.

Qu. VII. *An toleranda est captivi promissio de redeundo in carcerem?*

℞. Aff. quia nec civitatis nec captivi conditionem deteriorem reddit. Idem dicendum si promissum, ne *in certum locum* redeat, ne *adversus eum, in cujus potestate est*, vel unquam vel hoc saltem bello, aut alias certo tempore *militet*, ne *fugam* cogitet Grot. §.6.7.8.

Qu. VIII. *Sed annon subditus contra promissum de armis non apprehendendis à Principe suo cogi potest ad militiam?*

℞. Potest, si civitas in *praesenti periculo* versetur, nisi iste quoque arma capiat, quia absurdum est esse me civem, & tamen

men obligatione inutilem factum ad civitatis defensionem in casu extremæ necessitatis. Cumque Respubl. juramenta subditorum, quæ publicæ rei obstant, dicere possit nulla, quanto magis à nudis promissis fidem detrahere potest. Itaque pactum illud saltem de bello *offensivo* non *defensivo* intelligendum erit. Hennig. *b. c.* §. *8.* Puf. *VIII. 2, 2.*

Qu. IX. *An qui captus est alteri se dedere potest?*

℞. Quamdiu in tali statu est, non potest, quia nequit sua pactione jus alteri quæsitum auferre Grot. §. *9.*

Qu. X. *An Privati cogi possunt à suo magistratu, ut impleant promissa?*

℞. Aff. in bello solenni, nam bellum gerentes obstringuntur alter alteri jus reddere, etiam de factis privatorum, ut puta si à privatis violati essent hostium legati Grot. §. *10.*

Qu. XI. *Quænam regulæ tenendæ de interpretatione ejusmodi pactorum?*

℞. Ne

℟. Ne à proprietate verborum recedatur, nisi absurdi vitandi causa, ut in dubio magis interpretemur verba contra eum, qui legem dedit, & aliæ regulæ jam aliquoties memoratæ. *L. 2. c. 16. L. 3. c. 20. §. 26.* quas in hac materia exemplis quibusdam illustrat Grot. *h. c. §. 11. seqq.*

CAPUT XVII. ap. Grot. XXIV.

De Fide tacita.

Qu. I. *Unde Fides tacita colligitur?*

EX *silentio* cum certis circumstantiis spectato, *negotii natura*, aliisque *signis*, quæ ex consuetudine significant. Consensus enim qualitercunque indicatur & acceptatur, vim habet juris transferendi Grot. *III. 24. 1.*

Qu. II. *Quæ huc pertinent exempla?*

℟. Qui ab hostibus aut ab externis venit, & in alterius populi aut regis *fidem se dat*, tacitè se obligat, ne quid faciat adversus statum, in quo præsidium petit. Sic qui *colloquium postulat* aut *admittit*, tacitè pollicetur, collocutoribus id innoxium fore. Quanquam tacita illa volun-

luntas non ultra trahenda ſit. Nam dum colloꝗutores nihil patiuntur, ſpecie colloquii avertere hoſtem à belli conſiliis, ſua interim promovere, perfidia vacat, & dolo bono annumeratur. Grot. *h. c.* §. *2. & 3. ibique* Teſm. & Ziegl.

Qu. III. *Num Zopyri factum à reprehenſione remotum?*

℞. Neg. fides enim ejus in regem, perfidiam in eos, ad quos confugerat, non excuſat Grot. §. *2.* Zouch. *de Judic. int. Gent. P. 2. S. 10. qu. 3.* Zentgrav. *in Summa J. Div. Sect. 3. art. 3.* §. *7. p. 707.*

Qu. IV. *Quæ ſunt ſigna muta ex conſvetudine obligantia?*

℞. Olim vittæ & rami olivarum, apud Macedones haſtarum erectio, apud Romanos ſcuta capiti impoſita obligabant ad arma ponenda. Hodie *vela candida* tacitum habent ſignum petiti colloquii, quæ non minus obligant, quam ſi voce petitum eſſet; ſicut econtrario *vela rubra* ſigna ſunt continuandi belli Grot. §. *5.* Alex. ab Alex. *Genial.*

Oo *dier.*

dier. Lib. 4. c. 7. p. 193. seq. Burger. *Cent. 1. O. 16.*

Qu. V. *An vindictæ remissio colligitur ex dissimulatione?*

℞. Neg. quia potest, qui jus vindicandi habet, dissimulare, donec occasionem nactus vindictam exercendi. Necessum ergo est, accedat talis actus, qui ostendat *amicitiam* aut *opinionem* de tali virtute, cui merito antefacta condonari debeant. Grot. §. 7.

CAPVT XVIII. apud. Grot. XXV.

Conclusio cum monitis ad fidem & pacem.

Qu. I. *Cur monemur ad fidem servandum?*

Quia 1. alias spes pacis haberi nequit 2. sine fide nulla civitas stare potest 3. fide nullum majus bonum inter homines est, 4. quia per fidem homo separatur & distinguitur â brutis Grot. *III. 25. 1.*

Qu. II. *Cur Regum quoque est fidem religiosè habere?*

℞ Pri-

℟. Primum *conscientiæ*, deinde *famæ* causa, qua stat regni autoritas. Sciant ergo isti, qui ipsis fallendi artes instillant, non diu prodesse doctrinam, quæ hominem hominibus insociabilem facit, & Deo invisum Grot. *d. §. 1. ibique* van der Muelen.

Qu. III. *Quid in tota belli administratione spectandum?*

℟. Ut semper in pacem prospectemus. Sapientes enim pacis causa bellum gerunt Grot. §. 2. Becm. *Pol. Parall. c. 23. §. 2. & 3.*

Qu. IV. *Quid est Pax?*

℟. Pax *universalis* & *naturalis* est: *Status hominis naturalis, quo quisque alteri suum tribuit, neminem lædit,* hæc enim dictante recta ratione omnes homines obligat. *Particularis* & *civilis* dicitur: *Status, quo ex Pacto speciali, summum imperium habentes perpetuo in concordia vivunt.* Zentgrav. *de Orig. J. Gent. Art. 3. §. 18. & Art. 1. §. 59.*

Qu. V. *Quid firmat pacem?*

℟. Amnestia *seu omnium in bello ejus-*

que intuitu commissorum publicè sancitâ oblivio. Non enim pace facta semper ex animis partium ita ejicitur odium, ut iterum in belli flammam erumpere non posset, nisi huic malo remedium adhibeatur. Grot. §. 3. Buxhorn. *Diss. de Amnestia.* Dn. Coccej. *de Postl. in Pac. & Amnest. Sect. 4.*

Qu. VI. *Quotuplex est Amnestia?*

℞. Duplex alia *generalis*, quæ ad omnes personas & causas extenditur, & alia *specialis*, quæ ratione certarum personarum & rerum statuitur. Dn. Stryk. *de Jure Sens. Diss. 9. c. 5. n. 10. seqq.* Coccej. *d. l.* §. *9.*

Qu. VII. *Quis amnestiam constituere potest?*

℞. Qui jus habet belli & pacis legumque ferendarum, ex ea enim obligantur utrinque subditi ad remittendas injurias suas damnaque sibi data, ad quod à nemine nisi summa potestate obligari possunt. vid. Mev. *de Amnestia Chart. F. 1. & 2.*

Qu. VIII. *Quomodo tractanda Amnestia?*

℞. Ut

℞. Ut nihil relinquat, quod memoriam renovet veterum irarum. Hinc eliminanda ex tabulis ea nomina, quæ ad recordationem odiorum apta. Illa quo purior, eo melior. Mev. *d. l. charta H. 4. b. & J. 1. a.*

Qu. IX. *An quærenda pax etiam ob suam utilitatem?*

℞. Aff. qui enim *minus valent* & impares adversario, illis periculosum est longum cum valentiore certamen, & potius jacturâ aliqua redimenda major calamitas. Si *validiores* sunt, possunt dictare & præscribere conditiones, quæ ipsis plus commodi & gloriæ afferunt. Si *uterque pares*, id optimum tempus de pace agendi, dum sibi uterque confidit. Grot. §. *4. 5. 6.* Besold. *de Pace ejusque jure c. 2.* Brunn. *de Pace Polit. Diss. 2.*

Qu. X. *An pax servanda qualibuscunque legibus inita?*


℞. Aff. ob fidei sanctimoniam, soliciteque cavenda non tantum perfidia, sed & quicquid animos exasperat, quod Gro-

tius pio & justo voto exoptat. §. 8. Nos vero devotis precibus exoramus, ut quoq; tot Regnis Europæ per Seculi hujus decennium bellaci rigore concussis, potiorem triumphis innumeris, optimamque rerum, quas homini novisse datum est, Pacem restituat & stabiliat summus belli pacisque Arbiter Deus Ter Optimus Maximus, cui soli gloria in omnem æternitatem.

FINIS.



INDEX



INDEX CAPITVM.

LIBRI I.

LIBRI II.


 ma-

XIX. De

LIBRI III.



INDEX



INDEX RERVM.

Primus numerus librum, Secundus caput, Tertius quæſtionem denotat.

Aer

Pa-

Hostis

Em-

in bellum insuper 3. III. 8.

ferre

H. *Ho-*

refer-

Legi-

Pira-

Posses-

Pote-

Præ-

Ea me-

Sors

V. Va-

V.

Vastatio

Vectigal

Vela navium

Venatio

Vene-

FINIS.



